AUTHOR:

RHODIUS, AUGUST

TITLE:

DE SYNTAXI PLANCIANA

PLACE:

BAUTZEN

DATE:

1894

Master Negative #

92-81092-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rhodius, August, 1857-
De syntaxi Planciana scripsit A. Rhodius ...
Bautzen, Monse, 1894.
32 p. 28½ cm.


"Wissenschaftliche beilage zu dem programm des Gymnasiums zu Bautzen ..."



No. 7 of volume of pamphlets.


Re


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 11/24
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 2-10-93
INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM

Centimeter
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
mm
1
2
3
4
5
Inches

1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0



De syntaxi Planciana

scripsit

A. Rhodius.

Wissenschaftliche Beilage

zu dem

Programm des Gymnasiums zu Bautzen Ostern 1894.

Bautzen,

Druck von E. M. Monse.

1894. Progr. Nr. 533.

Corrigenda.

p. 3 adn. 1) ineunte scrib. 'Iustin.'; item adn. 2) versu 2; adn. 3) exeunte numeri '3, 67; 2 § 2' ita interpung.; adn. 4) Reisigii artis *adn.* 328 intellegenda.
p. 4 versu 5. a postremo *gen.* qual. pro abl. pon. (moderatissimo — sensu); postrema verba: 'omnia — resisterem', utpote Planci, litteris paulum inclinatis scribenda. — adn. 5) bis 'iudicium' legendum; adn. 14) incipienda 'ex eis'.
p. 5 v. 7. 'Mend.' delend. — adn. 6) v. 3. a postr. interpunctione finiendus.
p. 6 v. 8. ante 'unius' inser. 'idem adi.' — adn. 10) extr. 'praedicativum' del.; adn. 11) duo loci, quos attuli, interpungendi; adn. 15) a postremo proximum voc. 'utram' scribendum.
p. 7 adn. 16) ex. 'quem' post 'Att. 16, 8, 1'; v. seq. Liv. 10, 19 § 9; adn. 19) extr. Antib. II 231.
p. 8 v. 9. 'millium', cf. b. adn. 4); tertio versu post 'duxit'. — adn. 29) v. 1. duo voc. 'mutuo ita' inter se transpon.; adn. 34) v. 2. post 'tertio' inser. *loco;* adn. 35) v. 3. 'efficiens' scrib.; adn. 37) cf. Draeg. I 383.
p. 9 v. 2. 'impedimentorum' pro gen. sing.; p. fere media *et* pon. pro 'ut' ante 'opposita sine'; v. 5. a postr. 'cogitanda'.
p. 10 adn. 48) fere media 'instar esset'.
p. 11 adn. 58) exeunte nomen urbis add. 'Hannover'.
p. 12 adn. 18) de adv. 'salutariter' cf. Neue, lat. Formenl. II³ p. 704; adn. 19) l. postr. (Phil. 14, 16) a superiore interpung.
p. 13 adn. 22) cf. impr. Cic. Verr. 2, 17 'pecuniam sibi facere'.
p. 14 v. postr. 'occurrerem'.
p. 15 v. 4. ab imo ep. '17' notanda. — adn. 14) ex. comma ante 'anxium hab.' del.
p. 16 v. 2. in. primum voc. 'dignitatem' a proximo commate seiung.; v. 8. a postr. ep. 24 paragr. 5. notanda pro tertia; adn. 21) Plauti prior l. incipit a verbo 'scis'.
p. 17 adn. 1) scribend. 'quas Delbr. et Ebr. ediderunt'.
p. 18 adn. 24) cf. du Mesnil, Fleckeis. ann. 84 p. 767: Cato m. 50; Att. 13, 35, 1.
p. 19 adn. 25) locus ex epp. ad Att. allatus desinit in voc. *sis;* cf. Att. 16, 8, 1 'video paucis diebus nos in armis fore'.
p. 20 v. 6. ab imo pro num. sing. pon. plur. 'ablativis'. — adn. 41) ineunte comma inter duas infinitivi constructiones del.; adn. 42) fere media enuntiatum rel. ab antecedenti interpunctione graviore seiung.; adn. 49) cf. F. 3, 10, 10 extr. 'ad voluntatem nutumque'.
p. 21 v. 6. a postr. notanda ep. 9 pro 11. — adn. 55) cf. Antib. II 73.
p. 22 v. 3 a postr. vocabula 'alio — ullo' inter se transpon. — adn. 62) extr. punctum omissum.
p. 23 v. 7. 8. nullo l. Plancus praepositione supersedere potuit, ne '23, 6' quidem.
p. 24 v. 8. numerus supplendus, ut sit scribendum '24, 3'.

In sedecim Ciceronis ad familiares, qui vocantur, libris viris doctis illis, qui et singulorum, qui Ciceronis aetate floruerunt, scriptorum elocutionem [1]) et universum sermonis cotidiani usum [2]) perscrutantur, tam amplus, in quo doctrina possit studiumque cognoscendi excurrere, campus est patefactus, ut circumspicienti mihi reputantique, quidnam ad tractandum eligerem gymnasiique Budissini programmati, quoniam id mihi munus suscipiendum fuit, commentationis loco adderem, simulatque in illos libros incidi, tanta rerum materie oblata nulla iam dubitatio esset atque id tantum mirum videretur, quod L. Munatius Plancus, cuius epistulae, undecim numero in decimo libro exstantes, tam largam proprietatum copiam praebent, nondum, qui eius sermoni operam daret, invenisset.

Nam etsi non defuerunt, qui de Planci et vita rebusque gestis [3]) et epistularum tempore atque ordine [4]) disserérent, nemo adhuc, quantum scio, de sermone eius disputavit. Quam partem ab aliis vacuam relictam pro meis viribus quominus explere conarer, neque rei novitate neque difficultatibus deterritus sum.

Atque Planci, quos tractavi, locis in orationem continuam receptis, aequalium, Ciceronis praecipue et Caesaris, similes subnotavi. Quos magna ex parte ideo pleniore forma attuli, ne, qui lecturi essent, libros evolvendi molestia afficerentur.

---

[1]) Praeter illud, quod Opitz Naumb. 1879 edidit programma, alterum, quo Stinner Oppeln eod. a. tria priora complexus est, cf. J. H. Schmalz, über den Sprachgebrauch der nichtciceron. Briefe, Zeitschr. f. Gymn. W. 1881 p. 87—141; über die Latinität des P. Vatinius, Progr. Mannh. 1881; über den Sprachgebrauch des Asinius Pollio, Festschr. zur 36. Philol.-Vers. p. 76—101, Karlsr. 82. C. Asini Polionis de bello Africo comment. rec. E. Wölfflin et A Miodónski, Lips. 89. K. Schirmer, über den Sprachgebrauch des M. Brutus, Progr. Metz 1884. H. Hellmuth, über die Sprache der Epistologr. S. Sulpicius Galba und L. Cornelius Balbus, Würzb. 88. F. Burg, de M. Caelii Rufi genere dicendi, Lips. 88 (diss. Freiburg.). F. Becher, über den Sprachgebrauch des Caelius, Progr. Ilf. 88. A. Köhler, über die Spr. der Briefe des P. Cornel. Lentulus Spinther, Nürnb. alt. Gymn. 1890. E. Gebhard, de D. Junii Bruti genere dicendi, diss. Jen. 1891.

[2]) O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangsspr., Kiel 73, 83. (O. Weise, Charakteristik der lat. Spr., Leipz. 91.) Wölfflin, Bemerkungen über das Vulgärlatein Philol. Bd. 34, 1876 p. 137—61. G. Landgraf, Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cic. Blätt. f. Bayer. Gymn.- und Real-Schulwesen 1880, Bd. 16, Heft 6 und 7. P. Meyer, de Ciceronis in epistolis ad Att. sermone, Progr. Bayreuth 1887.

[3]) Praeter Drumanni historiam Rom. (IV p. 205 sqq.) et illam, quam Pauly edidit, antiquitatum descriptionem sub Munatiorum nomine cf. CIL X 6087, de Klerck, de L. Munatio Planco, disquisitio historico-literaria, Traiecti ad Rh. 55, Kleyn, de L. et T. Munatiis Plancis, Lugd. Bat. 57, Gardthausen, Augustus und seine Zeit, I ad p. 108 sqq., 43 sq. Eckhel, doctr. numor. vet. p. II vol. V p. 257; de coloniis a Munatio deductis Desjardins, géographie de la Gaule Romaine II p. 73; III p. 72 sq.; Boissieu, inscriptions de Lyon p. 117—132.

[4]) Cf. Br. Nake, Progr. des Luisenstädt. Gymn., Berl. 1866.

Neve pro perpetua et coagmentata, ut debet profluere, inconcinna fieret oratio, propriis Planci constructionibus non contentus, cum scriptoris sermo, nisi, quatenus cum aequalium conveniat, ratio habetur, ad rectam suam speciem redigi non queat, ne notiores quidem locutiones, si modo ex Planco exempla afferri poterant, silentio praetermisi, iter plerumque secutus a viro et artis grammaticae et sermonis Latini peritissimo institutum atque demonstratum.[5])

Hominum doctorum quas adhibui disputationes, suo quamque primo loco pleniore forma dicturus sum[6]); praeterea quos vel libros grammaticos[7]) vel epistularum editiones[8]) in usum meum converti, infra indicavi, notas posthac usurpandas litteris designans dilatatis.

Ceterum meum fecerim illud Ciceronis de or. 3,228: 'Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt.'

---

[5]) Cf. J. H. Schmalz, lateinische Syntax im Handb. der klass. Altertumswissenschaft, herausg. von Dr. Iw. v. Müller, II² Münch. 1890, p. 386 sqq.; lat. Schulgr., Bielef. und Leipz. 1891, Erläuterungen dazu im Progr. Tauberbischofsh. 1890; Antibarbarus der lat. Spr. von J. Ph. Krebs, 6. Aufl. in vollst. Umarbeitung von J. H. Schmalz, 1. B. 86, 2. B. 88.

[6]) Ex commentationibus criticis saepius contuli observationes, quas Kleyn conscripsit (Lugd. Bat. 1860), emendationes alteras, quas Wesenberg edidit (Lips. 1873); ex tribus grammaticis de simillimo argumento (Landgraf Würzb. 78, Hellmuth Erl. 78, Thielmann Strassb. 79) postremam: de sermonis proprietatibus, quae leguntur apud Cornif. et in primis Ciceronis libris.

[7]) Praeter Zumptii linguae latinae epitomen, Kühneri artem grammaticam, Draegeri syntaxin hist. (I² 78, II² 81) librosque adn. 5) memoratos saepius adhibui 'Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwiss., neu bearbeitet von Schmalz und Landgraf, Berl. Calv. 1884—88, Deecke, Erläuterungen zur lat. Schulgr. Berl. 93, Progr. Mülh. 90'. Archiv für lat. Lexikogr. und Grammatik, cuius libri ab anno 1884 singula volumina edidit E. Wölfflin.

[8]) Omnia Ciceronis opera abhinc paucos annos edidit C. F. W. Müller, in iis epistulas Wesenberg; quae vocantur 'ad familiares', proximo anno Mendelssohn (Lips. Teubn.); selectas praeter alios Süpfle, Böckel⁹ (Karlsruhe 85); item Fr. Hofmann, cuius libri prius volumen recognovit H. Lehmann (Berl. 92) alterum G. Andresen (Berl. 85).

De enuntiato simplici.

a. De subiecto et praedicato.

Inter summas enuntiati partes, subiectum et praedicatum, **convenientiam,** quae vocatur, intercedere oportet, et verbum quidem finitum cum subiecto convenit in persona, in casu nomen praedicativum. Plura si diversi generis nomina subiecti loco sunt posita, in praedicativo mutabili, si de personis agitur, genus masculinum superius esse feminino concedendum,[1]) sin de rebus, utroque illo genere inferius esse neutrum negandum est.[2]) Praedicatum, quod antecedens ad proximum nomen referri inter omnes fere constat, idem, etiamsi sequitur, nomina, quibus res indicantur, plura plerumque non spectat, neque ubique personalia, quod ad numerum attinet.[3])

Quare quod Plancus scripsit 24, 1: *Amor tuus ac iudicium de me utrum plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis cotidie sit allaturus, non facile dixerim,* in numero quidem praedicati nequaquam offendimus, in genere tamen id proprium agnoscendum est, quod propioris nominis neglecto remotioris genus, quod est masculinum, spectatum est.[4]) Cuius rei ea nimirum est causa, quod huius sententiae verba plus dignitatis, quae obiecti loco habenda sunt, ad posterius potius

---

[1]) Quod notissimo exemplo illo confirmatur Ter. Eun. 3, 3, 11 pater et mater mortui, cf. Justin, 14, 6 filium Alexandri cum matre custodiendos mittit. Similis est ordo trium grammaticae disciplinae personarum, cf. praeter F. 11, 20, 1 (D. Brut.) 4, 5, 5 (Serv.) imprimis Cael. 8, 16, 2 si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus.

[2]) Qui enim in rerum quoque genere ordo et quasi dignitas inesse videatur huiusmodi locis: CIL I 200, 12 p. 79 ager, locus aedificium privatus siet, Tac. hist. 5, 23 extr. agros villasque C. intactos sinebat, Justin. 22, 5, 5 urbes castellaque non muris cinctae (Kühner, Gr. II p. 32), is refutatur aliis, ut Livii 9, 38, 1 castella vicique aut deleta cet. (Synt. § 14: castella Hauptbegriff, vici eine Art Appendix) 24, 2, 4 urbem ac portum moenibus validam tenuissent (Weissenb., Kühner, Gr. II p. 36 'Stadt mit einem Hafen, Hafenstadt') Ciceronis leg. 1, 1 lucus ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus (Zumpt § 377 extr., Draeg. I § 108 'lucus cum quercu').

[3]) Cf. Anz, Progr. Quedlinb. 1884 p. 1 adn. 2) p. 9 sqq., de rebus ex Ciceronis ad Plancum epistulis, 1, 4 humanitas et dignitas postulat, 6, 2; de personis de or. 3, 67, 2 § 2 et 26 et quae Piderit adnotat.

[4]) Neque magis artis grammaticae severitas spectanda est, quam verborum gravitas, e qua praedicativi genus constitutum sit, F. 10, 25, 1, in qua ep., cum id ageretur, utrum Furnium amplius rei p. operam navare an statim ad comitia et praeturam petendam accurrere praestaret, quae festinatio 26, 2 praepropera nominatur totaque hac ep. reprehenditur. Cicero, quid ipse de re sentiret, non obscure indicavit § 2 'multi clarissimi viri' cet. nec non ep. ineunte his verbis: 'istamque operam tuam, navitatem (ita iam Manutius Medicei nativitatem correxit), animum in remp. celeritati praeturae anteponendam censeo' (cf. Mend.). Etenim cum in prioribus vocabulis summa vis inesset, tertii genere neglecto ad priora praedicativum rettulit; nihilosecius Wesenberg abscisa *m* littera neutrum plurale posuit, Baiterum secutus iniuria relegantem ad Cic. off. 1, 14, quo loco C. F. W. Müller codicum scripturam antea repudiatam in textum recepit, ut nunc legamus: pulchritudinem, constantiam, ordinem conservandam. Inverso ordine nomina masc. et fem. sese excipiunt Cic. Sest. § 113 (animum — fidem — gratum). De Font. 34 (se ac suas urbes conservatam) cf. Anz Pr. p. 12, ubi tamen numerus paragraphi corrigendus, de tota hac quaestione Draeg. I § 108 (Suet. Caes. 75 extr.) Reisig 328.

subi. iudicium videntur referenda, extrema vero sententia ad eius initium redit,[5]) ut duo (subi. et obi.) nominum paria decussatim sint disposita.[6])

Iterum Plancus part. fut. ad nomen remotius rettulit[7]) 21, 5 *mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturum.* Qui locus cum dirigendus videatur ad similis alterius normam 11, 3 *neque animum nec diligentiam mihi defuturam*,[8]) tamen, qui utriusque naturam accuratius consideraverit, 11, 3 utrumque vocabulum eiusdem fere ponderis esse concedat (cf. 15, 4), illic vero (21, 5) quantuli Plancus, qui honores praemiaque senatus cum immortalitate compararet (cf. 9, 2), misericordiam istam duxerit, nequaquam dubitabit, atque gradationis vis, quam in particula etiam inesse omnes concedunt, coniunctioni quoque[9]) plane derogatur.[10]) Quid igitur mirum, quod 21, 5 genus participii remotius quidem illud, sed gravioris sententiae nomen spectat.[11])

Sicut his duobus locis de genere, ita de numero exspectato Plancus decęssit 24, 6: *Quae mens eum, aut quorum consilia, a tanta gloria — avocarit et — transtulerit, exputare non possum.*[12]) Equidem quae tradita sunt verba quorum consilia servare quam corrigere[13]) malim, quod Plancus haud scio an Caesarem, quippe qui paulo ante (§ 5) moderatissimo atque humanissimo fuisse sensu dicatur, nisi aliorum illum consiliis atque auctoritate commotum esse iudicasset, 'insulsa cum efflagitatione' consulatum sibi vindicasse non fuerit Ciceroni scripturus.

In pronomine denique relativo numeri pluralis nulla ratio habita est 21, 1 omnia feci, qua re resisterem.[14])

---

[5]) De sententia cf. ex Planci epp. 23, 7 'aut ex amore aut ex iudicio tuo', ex Ciceronis 5, 1 'cepi fructum duplicem', paulo post: 'amor plus certe habet suavitatis', praeterea 5, 19, 1 cepi fructum et iudicii et officii tui.

[6]) A gravissimo quoque vocabulo sententiae initium duci ceteraque, quae sunt levioris momenti, nomina amplificandi causa accedere, pronominis quoque relativi usu demonstratur. Ita codicum auctoritas in Ciceronis verbis multum temptatis F. 5, 21, 5 praeter culpam ac peccatum, qua semper caruisti (cf. Mend. ad l.) cum illis, quae C. F. W. Müller in ed. Cic. IV, 3 praef. 4 ad 6, 37 attulit, exemplis firmatur: CIL I p. 82 si quae lex plebevesc[itum] est, quae, p. 79 ager, locus, aedificium omnis quei, tum Caesaris G. 2, 7, 3 'omnibus vicis aedificiisque, quos' et ipsius Ciceronis nat. d. 2, 156 quid de vitibus olivetisque dicam, quarum, cf. quem locum Müller ad Sest. § 113 (II 3 ad p. 49, 22) attulit: Font. 5, 12 'hominum et civitatum, qui'.

[7]) Si quidem codex Mediceus ceteros auctoritate superat; cf. Mend. ad l. et praef. XIX.

[8]) Hanc generis feminini formam, quae sola codicibus nititur, iam Orellius (in ed. Tur. 1829) pro masculino a Graevio praelato suo iure in textum recepit.

[9]) Licet hanc particulam et Cicero (e. gr. de or. 1, 219) et Plancus (24, 7) in eadem cum superlativo sententia posuerit.

[10]) Cf. Synt. § 207: Tritt nach sed, wie manchmal bei Cicero, Liv. und in der silbernen Latinität, quoque ein, so wird damit nur ein Zusatz, nie eine Steigerung ausgedrückt.

[11]) Neque opus est ingeniosa quidem, sed non satis confirmata, quam Deecke protulit, coniectura (Erläut. § 343, Progr. Mülh. 90 p. 25); etenim ille, utrum participii in — urum desinentis forma non mutata, addito vel supplendo inf. esse, ex vulgari sermone manasset an ex genetivo plur. depravata (amaturum ex amatorum, cf. praetura, praetor) postea flexionem accepisset, in dubio reliquit.

[12]) Poeta si quis in verbis inter se referendis, qua est licentia, sibi indulsit (cf. Hor. Sat. 2, 6, 66: ipse meique — vescor) facile ei ignoscimus; at prosae orationis si auctor de severitate grammatica remisit, gravamur, sed ipsum Ciceronem F. 10, 5, 1 plures res commemoratae ('necessitudinis benevolentiaeque ceterarumque rerum', cf. § 2 'illa superiora') adduxisse videntur, ut subiecti (commemoratio) singulari numero neglecto praedicatum plurale 'attulerunt' poneret; cf. Mend. et Schmalz, Berl. philol. Woch. 1884 p. 179, 1.

[13]) Etenim Gitlbauer (Wiener Studien I p. 256 sq.) cum in Mediceo praepositio inter verba 'consilia tanta' desit, de priore vocabulo tradita terminatione (a) ad praep. supplendam abstracta, cum nominis exitum a pron. antecedenti quorum petivisset, scripsit 'quod consilium a', iniuria, ut mihi quidem videtur, nam ut Cicero (ad Brut. 1, 10, 2) et Caesarem, praeclara ipsum indole, improbissimis quorundam litteris in spem consulatus impulsum esse dicit, et necessarios illius, 'qui eius cupiditati suffragati esse videbantur', accusat (cf. imprimis haec Ciceronis verba § 4 sin impiorum consilia plus valuerint quam nostra), ita in Planci ep. aliquos Caesaris familiares quam ipsum auctorem fuisse aperte indicatum volumus, quae sententia emendatione illa, quam Gitlb. proposuit, recepta deletur.

[14]) Eorum, qui Hofm. II, 179 ad l. allati sunt, simillimus locus Ciceronis est ad Q. fr. 2, 2, 3 'multa fecit quare possemus', Caesaris G. 5, 31, 5 omnia excogitantur, quare augeatur; praeterea cf. Cic, Rosc. Am. § 41 et 94, Nep. 24, 2, 3.

b. De appositione et attributo.

Quo casu ad vocabulum aliquod definiendum nomen praedicativum refertur, eodem accedit attributivum; cuius **appositionis** in Planci epistulis plura occurrunt exempla, velut 21, 3 *ego non malus homo hoc suspicabar: at Laterensis, vir sanctissimus.* Hoc loco, qui epistulam misit, se ipse nimirum irrisit, neque ex animo Laterensem virum sanctissimum appellavit.[1]) Quare 21, 4 viri boni, quippe quae verba simulate dicta sint, interpunctione a ceteris sententiae verbis, imprimis sequente pacem, segregare et appositionis loco ad subi. milites, id quod Wesenb. fecit, referre malim, quam quod Gitlbauer,[2]) Mend., alii voluerunt, genetivum, quo Antonius indicetur, interpretari. Tanto autem cur appositio spatio a subiecto remota sit, in verbo finito, cui illa postposita est, causam esse Hofm. ad l. exponit (II, 181). Altero eiusdem ep. loco (§ 7) nomen appositum ab explicando segregatum est, sed pronomine tantum personali: *fratrem meum tibi, fortissimum civem.* Praeterea id loco allato (21, 4) memorabile, quod nomina propria, vulgo ipsa accuratius definienda (cf. 21, 3), explicandi causa apposita sunt: *per eos, qui praesunt, Canidios Rufrenosque;*[3]) omnino, cum vocabulum alteri appositum est, utrum scriptor nomen appositum haberi voluerit, nisi verborum collocatione significavit, non facile ubique potest cognosci, cf. 18, 2: *Laterensis — non ullam rem aliam extimescens quam eandem, quae mihi quoque facit timorem, varietatem atque infidelitatem exercitus eius.* Ita Plancus 17, 1 verbis *viginti millia*[4]) praemissis *passus* apposuit.[5]) Sed loco illo (21, 4) adi. quoque *singularibus* ne, id quod offensioni erat, cum vocabulo antecedenti *consulibus* coniungeretur, a nonnullis transpositum est, iniuria sine dubio (cf. Mend. ad l.), cum eiusmodi substantiva cum adiectivis coniuncta in epistulis praedicati loco occurrant, nec non subiecti.[6])

Interdum non liquet, utrum substantivum an adiectivum habeamus **attributum.** Namque ut Caes. C. 3, 94, 7 (summae rei diffidens) editores (cf. Kraner ad l.) dubitaverunt, utrum rei gen. an dat. intellegendus esset, ita apud Plancum, cum ep. 24, 4 legamus *summam remp.*, item adi. 11, 13a, 5,[7]) contra subst. 21, 1 *reip. summa*, verba sane eiusdem 8, 5 *curam reip. summae*, ut haec Lepidi (10, 35, 2) 'ut summae reip. consulatis', aliquid habent ambiguitatis. Equidem, cum Cicero, uno loco excepto 13, 68, 2 'de rep. summa quid sentiam',[8]) constanter adi. summus substantivo suo prae-

---

[1]) Quae notio insit in antiphrasis figura non malus, cognosci potest ex Cic. Tusc. 2, 44 Venit Epicurus, homo minime malus vel potius vir optimus; tantum monet, quantum intellegit, cf. 3, 50, Cat. 1, 19; revera quid de Laterense sentiret, Plancus aperuit 23, 4, cf. Cic. in Pis. § 28.

[2]) Wiener Stud. I p. 96 sq.

[3]) Sed haec nomina, in numerum pluralem traducta, sua et propria notione exuuntur, quod quo modo factum sit, cognosci potest ex his locis: Cic. Mil. 63 Catilinam atque illa portenta loquebantur, Parad. 6, 50 ne semper Curios et Luscinos loquamur, Cael. F. 8, 4, 2 extr. Laelios et id genus valentis dico.

[4]) De hac scribendi ratione cf. Mend. ad l. et Oberdick Woch. f. klass. Phil. 89 p. 351.

[5]) Cf. Mend. ad l. et Hellm. Pr. p. 13 sq. Vitruvius inverso atque Plancus ordine (1, 6 p. 27, 4 R.) passus praemisit, numerale apposuit, aeque atque Caesar C. 2, 48, 4 (cf. Kraner ad l.) 3, 4, 3. G. 1, 5, 2; non nunquam, quod est tertium, moduli vocabulum inter numeralia interiectum est, cf. b. Afr. 37, 4 et quae in ed. Wölffl. adnotata sunt.

[6]) Cf. Cic. F. 9, 14, 1 quin tu praestantissimum te civem et singularem consulem praebeas, 2, 19, 2 mihi quaestor optatior optingere nemo potuit, Pomp. ad Att. 7, 8, 5 cum haec quaestor eius infirmus et inops audeat dicere. — An forte praestat 'singularibus' adi. praedicativum existimare, quoniam Pansam priore proelio graviter vulneratum esse constat, Hirtium paucis diebus post in suo proelio cecidisse? Cf. F. 10, 33, 4, Phil. 14, 26 sq.; Caesar quidem hoc adi. adhibuit propria notione servata G. 4, 26, 2 (cf. Kraner, qui admonet adiectiva 'singulares, universos' inter se opposita esse simile quid scriptum est Cic. l. agr. 2, 85 honestius vos universi quam singuli possideretis) translata noster auctor ep. 23, 4, de quo loco in praedicativis videbimus.

[7]) Hanc ep. ex sermonis proprietatibus non magis D. Bruto quam Planco adiudicaveris.

[8]) Hoc l. facillima mutatione subst. constitui potest, cf. Bücheler, Mus. Rhen. XI p. 529 sq. 'Ob reip. oder rep. in der Handschrift steht, ist deshalb gleichgültig, weil der Abschreiber im Archetypus auf jeden Fall nur R. P. oder REP. vorfand.

miserit,[9]) vocab. summae in Planci ep. pro collocatione nomen substantivum iudicaverim, in Lepidi adi., cf. E. Albrecht, de adi. attrib. in l. Lat. collocatione, diss. Marb. 1890, p. 65.[10])

Nomen **adiectivum** artissimis est generis, casus, numeri vinculis coniunctum cum vocabulo, cui attributum est. Quod ad plura nomina relatum,[11]) quamquam sequi potest, compluries in Planci epistulis antecedit: 4, 4 *maximam sollicitudinem curamque*, 24, 1 *omnes gratas atque etiam pias propinquitates:* nonnumquam rei augendae causa, quotquot sunt vocabula, toties praemissum cum vi quadam repetitur, ut 18, 3 *magnam adfert sollicitudinem magnumque habet casum*, in eadem paragr. paulo infra unius est vocabuli, supplendi in altero sententiae membro: *magnum periculum ipse Lepidus, magnum — pars exercitus adiret.*[12])

Pronomen possessivum, sive priori vocabulo applicatur sive posteriori, cum propiore in genere convenire. ex Planci quoque his exemplis perspici potest: 18. 2 *aut pertinaciae meae aut timori*, cf. 24, 1; 23, 7 *aut ex amore aut ex indicio tuo:* utraque collocatio occurrit 9, 2 *honores praemiaque vestra, conferenda — nihil de meo studio perseverantiaque.*

Participium antecedens priori vocabulo, utrique sequens est applicatum: 18, 4 *venienti Bruto exercituique eius*[13]), 11, 2 *de Bruto et Mutina obsidione liberatis.*[14])

Qua copia atque varietate part. vel adi. inde factum, cui nos enuntiatum relativum substituere solemus, in sermone Latino attributum sit, Plancus docet 8, 6: *Legiones habeo sub signis — coniunctissimas — obsequentes, provinciam — paratissimam — certantem.*

Idem, nimirum ne oratio languidius traheretur, enuntiatum posuit relativum, quod cum participio attributivo alternat 8, 3 *Confirmandus erat exercitus, magnis saepe praemiis sollicitatus —: confirmandae civitates, quae erant obligatae.*

Rursus concinnitatis causa, ubi simplici attributo quodam contenti essemus, enuntiatum relativum comparet: 4, 2 *Omnia tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, videntur, quam fidelitatis, quam ego metior, cf. 8, 2 in ea fortuna, quae mea est seq.* —

Neglegentius vero Plancus 11, 1 *primae sententiae, posteriores* superlativum, qui est attributivus, posuit, nulla sequentis comparativi ratione habita; accuratius scripsit praedicativo comparativo adhibito 18, 3 *ut prior occurrerem Antonio.*[15])

---

[9]) Cf. imprimis 9, 24, 2. 12, 25, 4 (item Caelii ep. 8, 14, 2) Merguet s. v. sedecim locos attulit, velut Rosc. Am. 148, Cat. 1, 14, Sest. 25, Phil. 2, 38. 3, 37. 38.

[10]) Cicero quidem, nisi certa causa adductus, non videtur de consueta huius adi. collocatione deflexisse, etenim F. 7, 3, 2 (vir ille summus nullus imperator) verba quis non videt decussatim esse disposita, quod versu proximo iteratur; 13, 45 (cotidianam consuetudinem summam intercedere) praerepto iam illo ante subst. loco, quem adi. cotidianus occupaverat, fieri non potuit, quin alterum adi. summus postpositum propius ad praedicatum accederet; 11, 29, 1 denique idem adi. inter duo, ad quae pertinet, vocabula (prudentiam — fidem) interiectum praedicativum esse apparet.

[11]) Qua in re ne generis discrepantia exsisteret, veteres caverunt, cf. Cic. F. 10, 5, 2 tota mente omnique animi impetu incumbere Caes. G. 6, 5, 1 totus et mente et animo — insistit, cf. Deecke Erläut. § 237.

[12]) Cicero et in epistulis et in orationibus saepius, ut maior vis sententiae tribueretur, hac adiectivi repetitione usus est, e. gr. F. 1, 7, 9 magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui: (sequitur ibid. paucis versibus post similis pron. demonstrativi repetitio); F. 5, 7, 3 (cum de suo ipse consulatu gloriatur) tanto consilio tantaque animi magnitudine; idem variavit Pis. 3 me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas consulem declaravit, cf. Anz p. 18.

[13]) Cf. Anz p. 10 infra: 'Regel ist in dieser Stellung der Singular des Particips' cf. e. gr. de or. 1, 96 insperanti mihi et Cottae cecidit.

[14]) Quod accurate respondeat exemplum in Cic. nullum novi, cf. Anz. p. 5 supra, ubi Plancianum allatum est; neque tamen Cicero, sive res sive personas nominabat, etiamsi nomen plurale intercurrerat, ad proximum singulare referre dubitavit, cf. 3, 10, 10 patriam, liberos-memet ipsum mihi restitutum puto, ad Att. 9, 7, 5 legibus, iudicibus, iudiciis, senatu sublato.

[15]) Cf. quae exempla Thielm. affert p. 70: Cic. Inv. 2, 174 utri potissimum, 2, 147 utri potius.

Consulto idem, cum id ageretur, utrum cum senatus auctoritate se coniungeret (cf. 6, 2) an cum Antonio faceret, 4. 2 huius partem aliam nominasse videtur, ne apertius alteram diceret.[16])

Quod ceteroqui in sententiis relativis fit. Plancus, cum adiectivum substantivo suo attribueret, fecit 24, 6 *quae mens eum aut quorum consilia a tanta gloria, sibi vero etiam necessaria — avocarit, exputare non possum*, sc. ut pro demonstrativo vel determ. pron. poneret reflexivum. —[17])

Attributi substantivi adiectivum adeo est vicarium, ut genetivi cum subiectivi partes suscipiat, velut 4 1 *paterna necessitudo*,[18]) tum, quod audacius, obiectivi, cf. ibid. § 1 *in quo ego colendo patriam* (eam sc., quae patri debetur) *constituerim sanctitatem.*[19]) Haec ratio ut latissime patet in eo, qui **genetivus possessivus** vocatur, ita propria est pronominis poss.,[20]) cf. ex una Planci ep. 24 § 4 *sive Africanus exercitus — sive Caesaris*, § 3 *in castris meis —: in castris Bruti*, § 5 *amicitia mea atque Caesaris — et illius et vestro indicio.* Haec quoque causa, cur adi. proprius et pron. possess. asciscat,[21]) et ipsum adiectivi formam plerumque retineat, velut in Ciceronis verbis F. 10, 5, 3 'totum et proprium tuum'. adverbii tamen forma concessa[22]) atque a Planco adhibita 24, 8 *proprie tuus.*

Pron. personale autem, cuius gen. obiectivus ex nomine subst. suspensus pronomini possessivo interdum cedit,[23]) si ad adiectivum pertinet vel part., nullo modo potest loco moveri, cf. 21, 7 *amantissimum mei.*[24])

Idem voc. modo cum **subiectivo,** modo cum **obiectivo** genetivo coniungitur, velut spes a Planco, cf. 8, 1: *spem reip.* (= sperat resp.) *de mea voluntate*, 7, 2 *quarum rerum spe* (= ipse sperat res i. e. honores).[25]) Quin utrumque ex uno vocabulo suspensum videmus 24. 3 *aviditas*

---

[16]) Qua in re non est, cur offendamus, cum eius modi exempla saepius inveniantur, ut in ep. Pollionis 10, 31, 2 'nullius (= neutrius) partis esse', cf. quae paulo post sequuntur 'quia utrubique habebam' et quae § 1 antecedunt: 'ab utraque parte', Caes. C. 1, 66, 4 'qui (= uter) prior occupaverit' antecedente pron. uterque, paucis post capitibus (70 initio) 'utri prius occuparent; G. 5, 44 § 2 quinam anteferretur, § 14 uter utri anteferendus videretur; Cic. ad Att. 16, 8, 1 'quem (= utrum) autem sequamur?' ubi de Antonio aut Octaviano sequendo agitur, cf. 16, 14, 1 extr., F. 7, 3, 1 extr., Draeg. I p. 103 sq., qui ex Livio inter se confert 27, 35 ex duobus eligeret, quem mallet, 10, 19, 8 utram mallet.

[17]) Cf. Plauti Poen. 5, 1, 23 eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit, Draeg. I § 30, Thielm. p. 69 sq., Zumpt § 550 p. 368, Rebling, Charakt. p. 38. Gitlb. l. l. p. 257 pro 'sibi vero etiam' scribere voluit 'sive re etiam', collato ad Q. fr. 1, 1, 4 'sive etiam', cum diceret, bellum cum Antonio Caesari necessarium fuisse, gloriam inepte dici. Ego, si quidem correctione opus est, cum inter ipsum Caesarem eiusque familiares oppositio videatur esse, pro reflexivo pronomen determ. 'ipsi' ponere satis habeam, minus accuratam adiectivi relationem Planco condonaverim.

[18]) Haec locutio in ea, qua Cic. respondet, ep. recurrit 5, 1, praeterea 15, 4, 13; cf. 6, 16: 'paternam amicitiam nullis ipsi officiis prosecuti sunt, Nep. Hann. 1, 3 'odium paternum'. Adiectivam genetivi originem in pronomine (cf. cuius) comparere admonet Schmalz Synt. § 64.

[19]) De sententia cf. F. 5, 8, 4 extr., de utriusque adiectivi ratione Phil. 13, 46, ubi Cic. paternum id nomen esse voluit, quod patris fuisset, poenas vero patrias, quae patri a filio pro pietate deberetur vindicatio, cf. Antib. II 331 sq.

[20]) Hoc pron., una cum genetivo adnexum vocabulo, admodum tritum est atque celebratum; cf. pro multis exemplis Cic. F. 2, 6, 5 unius tuo studio, Cat. 1, 9 de nostro omnium interitu.

[21]) Cf. Cic. F. 14, 3, 1 calamitas communis — culpa mea propria est, Sest. 15, Fin. 3, 8; ex Luccei ep. 5, 14, 3 'ad consuetudinem vel nostram communem, vel tuam solius ac propriam'.

[22]) Cf. F. 9, 15, 1 commune cum multis — proprie tuum.

[23]) Cf. Synt. § 67 Anm. 1; ita Sallustii est vocabulo 'iniuria' aut obi. genetivum tribuere aut pron. poss., cf. Cat. 51, 11 (Jacobs ad h. l.) et 52, 6; eandem rationem pronomina et relativum et demonstrativa secuta sunt: Caes. G. 4, 6, 4 qua spe, 5, 19, 2 hoc metu, cf. Kraner. Quare, quamvis recte Cic. scripserit 6, 2 'me autem impulit tui caritas', non tamen est, cur in Planci ep. 11 § 1 pron. tua antecedenti vocabulo amicitia surripiamus mutatumque in tui, sicut voluit Kleyn p. 10 coll. 13, 67, 1, cum sequenti adi. memorem coniungamus, quod nullo eiusmodi supplemento eget, cf. 24, 1, Mend. ad 11, 1 et Klotz[2] p. LVII.

[24]) Cf. Vat. 5, 10[b] extr. 'tui amantior', Cic. F. 10, 26, 3 tui amantissimus, 11, 27, 1.

[25]) Eodem vocabulo cum attributo ad subst. personale applicato, quid de aliquo sperandum sit, praedicatur, cf. Caes. G. 7, 63, 9 'summae spei adulescentes' cum Cic. Phil. 2 46 'adulescentem summa spe et animi et ingenii praeditum', Deecke § 262 extr.

hominum victoriae.[26]) Neque adi. nomen expers est genetivi obiectivi, cf. 18, 1 *homini cupido satis faciendi.*[27])

Deinde vocabula illa relativa, quae supplemento aliquo egent, participio explicari possunt, aut generis passivi, aut, quod rarius, activi: 8, 3 *societatem defendendae libertatis*, 4, 3 *facultas tui praesentis.*[28])

Tum **qualitatis,** qui vocatur, gen., sicut abl.,[29]) quamvis praedicativi sit generis, vocabulo attribuitur, neque tamen ipse potest attributo carere,[30]) cf. 21, 3 *'suo chirographo litteras'* cum Cic. F. 7, 18, 1 'cautionem chirographi mei'.[31]) Eo genetivo praecipue, quo quid loci vel temporis spatio contineatur, eoque certis plerumque numeris definito, significatur, e. gr. 23, 2 *quadraginta milium spatio*, 17, 1 *bidui spatio abest.*[32]) Eundem casum agnosco 4, 1 *praeteriti temporis excusatio.*[33])

Ut supra ab attributo adiectivo genetivi partes susceptas vidimus, ita gen. **appositivus** nomen appositionis, unde originem ducit, prae se fert.[34]) Minime igitur mirum, quod, quae nomina Plancus in hoc gen. posuit 4, 1 *'causas plurimas vel paternae necessitudinis vel meae observantiae vel tui amoris'*, ea similiave eodem casu cum nomine explicando, ordine inverso sunt apposita in Cic. ep. 10 sub fin.: 'causas, quibus inter nos amore sumus, officiis, vetustate coniuncti'.[35]) Idem gen. occurrit 24, 1 *tam vili munere defungor orationis.*[36])

Partitivum denique appositivum esse genetivum, Planci testimonio comprobatur, qui totius nomen modo eodem casu apposuit, modo genetivo applicuit[37]): 21, 3 *chirographa omnia, et quibus credidi, et ea, quibus* —, 15, 3 *exercitus eam partem* = exercitum et eam quidem partem, cf. Deecke § 262. Eadem ratione ad neutra pronominalia nomen alias subst. in genetivo accedit, alias adi. in nominativo vel accusativo, quibus casibus genus neutrum solis suum habet exitum. Ita Plancus

---

26) Hoc ne ab optimis quidem scriptoribus vitatur, cf. Cic. ad Att. 2, 5, 1 hominum satietate nostri, Caes. G. 1, 30, 2 Helvetiorum iniuriae populi Romani, 7, 76, 2; idem tertium temporis gen. addidit G. 2, 17, 2.

27) Nomen adiectivum substantivi, cuius cum stirpe notionem saepe haberet, cf. 'particeps, expers', constructionem secutum esse docet Deecke Erläut. § 255; cf. Cic. Sest. § 15 hominis multo acrius communis salutis inimici, Mil. 25 vidit inimicissimum suum.

28) Cf. ex Cic. F. 1, 9, 22 potestas praesentis tui, Phil. 8, 21 p. D. Bruti conveniundi.

29) Duo casus qualitativi ut inter se, mutuo ita cum nomine adiectivo et participio usurpantur, cf. Cic. ad Q. fr. 2, 9, 3 Lucretii poemata, ut scribis, ita sunt: multis luminibus ingenii, multae etiam artis, F. 10, 16, 1 litterae cum gratissimae, tum gravissimis verbis ac sententiis; F. 12, 16, 1 (Trebon.) filium tuum, deditum optimis studiis summaque modestiae fama.

30) Cf. Deecke Erl. § 259.

31) De notione chirographi cf. Phil. 2, 8.

32) Hunc genetivum, in quo cum certo numero temporis notio confluxit, patet appositivum esse, Ventidius enim 17, 1 spatio aliquo abesse dicitur et bidui quidem itinere, cf. ex Caes. G. 6, 7, 2 bidui via aberant, 7, 11, 5 biduo pervenit, 5, 27, 8, Cic. F. 3, 1. 2.

33) Similis gen. occurrit Caes. G. 2, 17, 2, idem Cic. Arch. 1 una cum gen. subi., ad Att. 4, 1, 2, cf. Sest. 31 extr. et 15.

34) Tribus simillimis Ciceronis sententiis inter se comparatis: Off. 1, 121, F. 2, 16, 5 (ubi pro Medicei 'in memoria' accusativum 'memoriam' legendum docet Streicher comment. Ienens. III p. 146, cf. Antib. I p. 583) tertio Dom. 146 'liberis nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac memoriae nostrae relinquemus', quod in primo enuntiato subiecti, in altero obiecti loco positum erat, in tertio gen. definitivum factum videmus, suspensum ex illo, quod praedicativum erat, nomine; nimirum praedicativa, quae fuit, ratio, appositiva facta est.

35) Voc. causa vix in praepositionis cuiusdam usum abisset, nisi frequentissime genetivum appos. ascivisset, cf. Caes. C. 3, 72, 4 'causae vel falsae suspicionis vel terroris repentini vel obiectae religionis', Cic. Phil. 1, 28 'non erit iustior in senatum non veniendi morbi causa quam mortis', ubi res et officiens et effecta significata est genetivo, ad Att. 12, 13, 2 'excusor morbi causa' = morbus est causa, qua excusor, cf. adn. 34, extr., nos simplicius 'ich entschuldige mich mit Krankheit', cf. Antib., Deecke § 252.

36) Eodem loquendi usu eadem inest sententia in Ciceronis 'honore verborum' F. 10, 13, 1, ad Att. 5, 21, 7, cf. sermonum — gratiam' Att. 2, 16, 2; contraria in Caes. G. 5, 58, 2 verborum contumelia, Cic. Cat. 1, 16 vocis contumelia, cf. ad l. Richter-Eberhard.

37) Ex Caes. b. G. cf. 4, 7, 5 reliquum esse neminem, 1, 11, 5 nihil esse reliqui.

praeter locutiones: *ne quid detrimenti* 11, 2, cf. 18, 2 et 3, *aliquantum temporis 8, 3, plus dignitatis* 24, 1, subst. posuit 23, 3 *non quidquam impedimenti*, adi. 8, 2 *aut sordidum quidquam aut perniciosum;* gen. 11, 2 *'copiarum aliquid'*, adi. vero, quod ipsum supplemento aliquo eget neque h. l. caret, 7, 2 *dignum aliquid — consulatu*, cf. 23, 3 *nihil fugae simile*, 21, 2 *durius aliquid*, Deecke § 262, Zus. 2. Neque ipsa numeralia, neque adi. numeralia ullum pati gen. partitivum, Planci quoque testimonio confirmare possumus: 11, 1 *primae tuae sententiae*, 4, 3 *ullum meum factum.*[38])

Pronomen generis masc. bis apud Plancum cum genetivo occurrit, unus superlativus cum praepositione coniunctus exstat: 17, 2 *si cui vestrum*, 23, 1 *ne cui obtrectatorum*, 24, 3 *luculentissima ex omnibus* (sc. legio).

Neque tamen **praepositiones** cum subst. suo singulis vocabulis **attributae** parcius in epistulis mihi tractandis sunt adhibitae, velut pro genetivo obi. 4, 1 *nullum in te officium — tuus erga me mutuus amor*, 23, 4 *nimia eius indulgentia in Lepidum*, quae verba scriptor de consueta collocatione[39]) deflectens videtur opposuisse sequentibus: *ad haec pericula perspicienda fecit eum minus sagacem*, ut 17, 2 decussatim disposuit: *mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem.* Paulo audacius idem scripsit 4, 1 *meae a pueritia observantiae.*[40])

Praepositione cum, ut opposita sine duas inter se res coniungi vel segregari, nullo part. accedente, satis notum est;[41]) ita Plancus scripsit 11, 1 *sententiae tuae infinitis cum muneribus*,[42]) neque in nominum verbalium usu sui cuiusque verbi simili cur diutius moremur, ulla est causa;[43]) nihil igitur singulare 11, 1 *oratio de me;* liberius ibid. *iurgia cum obtrectatoribus propter me.*[44])

Plancus cum homines non solum bene sperare de se vellet, sed explorate iudicare (cf. 8, 6) et 24, 1 *iudicium de me*, et 8, 1 recte dixit: *et hominum exspectationem et spem reipublicae de mea voluntate.*[45])

Cum genetivo res cogitata indicetur, praepositionem in pro locali sua natura magis ad veram pertinere rerum condicionem,[46]) vel inde colligi potest, quod Plancus, quo tempore de societate cum Lepido ineunda cogitabat, bis genetivum cum illo vocabulo coniunxit: 8, 3 *societatem defendendae libertatis inire*, 11, 3 *ut Lepidum ad huius rei societatem incitem*, idem, cum aliquid iam inter eos convenisse videretur, praepositionem praetulit 17, 3 *in re p. administranda.*

---

38) Cf. Cic. F. 1, 9, 21 nullum meum minimum dictum, Cael. F. 8, 14, 1 familiarem suum quemquam.

39) Creberrima ea est collocatio, ut praepositione cum casu suo interiecta adiectivum vel gen. eius vicarius praecedat, cf. Cic. F. 1, 9, 1 (praeter alias eius modi locutiones) 'mea erga te studia', F. 5, 2, 6 'cuius erga me studium'; adi. postpositum maioris est ponderis, cf. (ibid. 'impetum in me crudelissimum') Att. 2, 19, 4 'studium erga me non mediocre'; utrumque denique nomen praepositionem antecedit, vocabulo vi quadam pronuntiato aut altero accedente, cf. F. 12, 24, 1 'mea studia erga te et officia', 10, 20, 3 'studia mea erga te'. Praeterea Cic. in epistulis ad Plancum datis de consueta collocatione oppositionis causa decessit 5, 3 'omnium civium — odium in Antonium', cf. ad Att. 11, 22, 1 'illius in me odium'; 6, 1 'de animo tuo in remp.', cf. F. 1, 9, 1 'meus in te animus'; Froehlich Progr. Hagenau 89 p. 7 sqq.

40) Cicero, qua ep. respondet, 5, 1: 'amorem erga me tuum', paulo tamen post 'benevolentiaeque eius, quam erga me a pueritia contulisses', nimirum quod breviorem Planci formam minus rectam ducebat.

41) Cf. ex Cicerone Verr. 4, 109 simulacrum Cereris cum facibus, Tusc. 2, 7 lectio sine ulla delectatione.

42) Cf. Hofm. ad l. II, 174.

43) Ut verbi transitivi constructionem nomina verbalia interdum retinuerunt, cf. ex Reisig. 511) imprimis Most. 34 'quid tibi me curatio est', Amphitr. 518, et Cic. F. 6, 8, 2 'quid sim tibi auctor', ita intransitivi verbi propria praep. ne in simili vel propinquo nomine adhibeatur, vix quidquam obstat, cf. Cic. F. 16, 21, 3 (ex me doluisti) — tuum ex me gaudium, F. 6, 1, 1 acerbitas ex interitu, Tusc. 4, 20, ad Att. 9, 5, 1; F. 12, 14, 3 (Lentul.) perseverantia in contemptione, 12, 15, 3 concordia et conspiratio ad defendendam libertatem ('conspirare ad' Cic. F. 10, 12, 4 extr.), § 4 timor de agris, Koehler Pr. p. 23.

44) Quod apparet collato Ciceronis, in qua respondet epistula, nomine verbali: 12, 3 magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio.

45) Cicero rursus, qui magnam in Planco spem poneret (cf. 26, 1) suo iure dixit 5, 3 magna spes in te et in tuo exercitu, magna exspectatio.

46) Cf. Frey² (ed. epp. sel.) p. 204 ad F. 10, 4, 1.

Quae praep., cum homini cogitanti rerum causae in ipsis rebus inesse videantur, interdum causae notionem exhibet partesque enuntiati causalis suscipit. cf. 24, 5 *in familiaritate Caesaris,*[47]) 15, 2 extr. *in cursu bonorum consiliorum*[48]) *Lepidum adiuandum putari.* Quod fusius h. l. auctor per ambages expressit, uno nomine praedicativo comprehendit 21, 1 *scripsique tibi biduo ante confidere me bono Lepido esse usurum.*[49]) Vi autem oppositionis praepositionis notio causalis[50]) fit concessiva, ut 9, 2 *in multitudine optimorum civium impetus animi mei — singularis,* 8, 7 *in damno meae laudis rei p. commodo laetabor;*[51]) concessiva denique sententia quam proxime accedit ad condicionalem,[52]) velut 7. 1 *nec te magis in culpa defensorem mihi parari, quam praedicatorem meritorum meorum esse volui.* —

Nonnullis porro locis ad nullum strictim vocabulum praepositionem referendam puto: 11, 2 *animadverti nullum alium receptum Antonium habere nisi in his partibus, duasque ei spes esse propositas,*[53]) § 3 *nec animo nec benevolentiae nec patientiae cuiusquam pro vobis cedam,*[54]) 23, 4 *Laterensis nostri et fidem et animum singularem in re p.*[55]) *semper fatebor.*

Brevius denique quam rectius scriptum videtur 17, 3 med. '*L. Gellius, quo ego interprete novissime ad Lepidum sum usus*'. Verbum mittendi hic exspectatum, cuius uti locum obtinet,[56]) paulo ante (eadem paragr. ineunte) invenitur, cf. Caes. G. 5, 36, 1. —

47) Quod Hofm. ad l. II, 199 explicat 'cum essem familiaris Caesari'.

48) Quae Planci verba admonent de proverbio, quod habemus Phil. 3, 19 currentem, ut dicitur, incitavi, cf. Cic. ad Q. fr. 1, 1 § 45. Planco non minus audacter praepositione illa Vatinius usus est 5, 9, 1 'non repudiabis in honore, quem in periculo recepisti', deinde Lepidus 10, 35, 2 misericordiam — in civili dissensione, cf. Hofm. ad l., Lentulus denique, ut praep. cum casu suo modo nominis attributivi instar sit, modo praedicativi: 12, 14, 3 (cf. adn. 43), 12, 15, 3 'Rhodios tanta in pravitate animadverti'; ipse Cicero nomini suspenso alterum praepositione adnectere non dubitavit F. 15, 21, 2 'tua sollicitudo de me in armis', quod vertimus 'deine Sorge um mich, als ich im Felde stand'.

49) De constructione cf. Cic. ad Att. 10, 8, 10 ceteraque, quae ap. Hofm. II, 179 allata sunt exempla. Utrumque Planci cum Caelii bis locis comparaverim: 8, 14, 1 'si in repulsa Domitii vultum vidisses', ibid. 4, 1 'Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse' (cf. Burg p. 25 infra) quibus locis collatis praepositionem cum nomine suo adiectivi vel participii vicem obtinere demonstratur, sive praedicativi sive attributivi.

50) Cf. Caes. G. 6, 7, 9 in tanta propinquitate, 2, 22, 2 in tanta rerum iniquitate, 1, 27, 4 in tanta multitudine; cf. Kraner ad l. 'cum tanta m. esset'.

51) Cf. ex Ciceronis epistulis F. 1, 9, 3 in molestia gaudeo, 2, 16, 7 tamen in stomacho ridere, 1, 6, 1 me in summo dolore consolatur spes, 5, 12, 5 etiam in vulneris dolore aequo animo.

52) Cf. Cic. F. 3, 11, 3 'etiam in summa copia — deberet, nunc vero eo magis, quod tanta penuria est'. Recte igitur in Hofm. ed. II, 139 adnotatum est, locutionem 'in victoria' vicariam esse sententiae concessivae F. 11, 28, 2, eandem condicionalis 4, 9, 2.

53) Verba 'in his partibus', si nomen verbale receptum continuo sequerentur, corrigenda atque 'in has partes' recipiendum censerem, quod fecit Wesenb. (cf. em. alt. p. 34) sed ab illo vocabulo cum aliquo distent spatio, auctorem, ut ponendi constructionem hic adhiberet, ea re adductum esse existimo, quod verbum compositum, cuius part. paulo post sequitur, animo eius iam obversaretur, cf. Hofm. II, 175 et Cic. ad Att. 8, 9, 2 'in publico proposuit epistulam'.

54) Plancum, ut 21, 6 quodvis pro bonis pati se paratissimum esse professus sit, tamen, cum sententiae concinnitatem quam maxime observaret (cf. e. gr. 8, 2), 'pro vobis' uni de tribus vocabulis i. e. patientiae applicuisse, quod voluit Hofm. II, p. 176, vix credendum; immo negatione praemissa, si verbi quoque negativa est notio, haec praep. omnino liberius ponitur, cum nos dicimus 'wenn es gilt', cf. F. 10, 31, 3 extr. 'nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer'.

55) Codicum ablativus 'in rep.' etiamsi cum vocabulo antecedenti coniungendus esset, tamen ab editorum arbitrio, quibus acc. placebat, defenderetur simillimo loco 12, 14, 2 'malus animus eorum in nostra salute', quo l. Orellius adnotavit 'in re, ubi agitur nostra salus', praeterea his, qui inter se respondent: F. 1, 8, 2 sensus in rep. (cf. 12, 15, 2 et Koehler Pr. p. 23) 1, 9, 10 sentire in rep.; sed verba 'singularem in rep.' praedicativa esse intellegenda, quibus indicetur, qua in re Laterensis legati et fides et animus fuerit singularis, ipsa, ni fallor, collocatione auctor significat, ut fecit 9, 2 ***nisi impetus animi mei fuerit singularis.***

56) Ceteris paribus Cic. Verr. 3, 84 'quo iste interprete — ad flagitia uti solebat', haec res alia est, quod praepositio ad, quae ex verbo uti pendet, ad rem efficiendam pertinet, cf. Caes. G. 4, 31, 2.

Suo sibi iure et verbum excitandi 18, 3 extr. *(ad hanc experientiam)* et adi. participiale paratus praepositionem ad sumit: 11, 2 et 21, 7, sed aliis quoque nominibus haec praep. audacius a Planco tributa est; 8, 6 *provinciam — summa contentione ad officia certantem,*[57]) 23, 4 *ad haec pericula perspicienda — minus sagacem,*[58]) 17, 2 *ad omnia pericula princeps esse non recusabat.*[59])

c. De obiecto.

Ut genetivus, qui a nomine dependet, attributi, ita **accusativus,** quem verbum asciscit, obiecti est casus.

Qui cum verbis compositis, quae antea praepositio aliqua secuta erat, tribueretur, verbi transitivi fines paulatim propagati sunt. Et Plancus quidem optimorum suae aetatis scriptorum usum nusquam transiit, cf. 8, 3 *societatem inire,* 18, 3 *periculum adire,* 23, 1 *maxima pericula subire,* paulo post: *hunc casum subire;* idem ex optimo usu praepositionem omisit 9, 2 *honores suspicere,*[1]) adhibuit 8, 3 *accedere ad auxilium,* § 7 *ad societatem,* 23, 1 *credulitas in mentem inrepit.*[2]) —

Verbi desperandi in genere activo utrum transitiva eligeretur constructio an intransitiva, ex suo quisque veterum diiudicabat arbitrio,[3]) passiva certe Ciceronis locutio 'resp. desperata' (Caecil. § 70, cf. ad Att. 16, 15, 5), nisi ex transitivi verbi usu (cf. F. 12. 14, 3 Lent.) oriri non potuit.[4]) Planci quidem in utroque genere usus (21, 3 *desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide,* 23. 2 *desperato adventu meo)* optime cum Caesaris convenit.[5]) —

Intransitivum igitur verbum cum compositione fieri possit transitivum, minime est mirandum, quod verbum transitivum compositum alterum asciscit obiecti accusativum; praepositio scilicet suum sibi vindicavit. Ita verbum 'traicere' ex communi usu duo habet obiecta 9. 3 *exercitum Rhodanum,* 23, 3 *copias Isaram.*

57) Idem vocabulum eademque constructio occurrit Tac. hist. 2, 97 'certaturi ad obsequium', usitatior Liv. 1, 35, 5 'obsequio certare'.

58) Idem adi. Cic. cum praep. ad coniunxit Cat. 1, 19 'ad suspicandum sagacissimum', oppositum Caelius 8, 13, 1 'hebes ad intellegendum', similia Caes. G. 3, 19, 6 'alacer ac promptus ad', nomen subst. alacritas Cic. alias cum genetivo conexuit: Phil. 4, 1, Att. 16, 3, 1, alias cum praep.: Att. 2, 7, 2 'mira sum alacritate ad litigandum —, similia altera ex parte Cic. ad Att. 9, 13, 4 tardior ad discedendum, off. 1, 33 ad iniuriam, fin. 2, 63 timidus ad mortem; de adiectivis denique proclivis et propensus cum hac praep. a Cicerone coniunctis cf. Schüssl. Pr. 1880 p. 11 infra.

59) Cicero, quotquot Merguet Lex. sub. voc. princeps ex Philippicis affert exempla, genetivum gerundivi quinquies adiunxit (5, 44; 4, 1; 7, 23; 14, 20 et 26) nominis subst. ter (2, 71 belli, § 106 gladiorum, 12, 17 sagorum). — Gen. part. (3, 34; 13, 30) in hoc numero non habendus videtur, qui praeter genetivum obi. additus est 14, 26 'princeps omnium Pansa proelii faciendi'. — Praep. ad uno occurrit loco 10, 24 'princeps fuit ad conatum exercitus comparandi', praeterea pro Arch. 1 pr. 'ad suscipiendam — rationem'. Quibus locis cum vis praepositionis nomine verbali vel etiam gerundivo fulciatur, uter, Cicero an Plancus, liberiore dicendi ratione usus sit, manifestum est. At simillimae sunt Taciti locutiones ann. 1, 28 extr. 'novissimi in culpam — primi ad poenitentiam'.

1) Cf. Antib. s. v., Seyffert-Müller ad Lael. p. 226.

2) Simillimus Plancini est locus Cic. de or. 3, 203 'maxime quasi irrepit in hominum mentes'; de similium verborum constructione influendi (cf. de or. 3, 91) insinuandi (F. 4, 13, 6) cf. Schüssl. Pr. 81 p. 8, 17. Verbum accedere notione assentiendi recepta cum dativo iunctum est, primo personae a Quintiliano (9, 4, 2 Ciceroni) deinde rei a Plinio (ep. 4, 10, 3 sententiae, cf. Draeg. I p. 408); similiter Seneca scripsit (consol. ad Polyb. 26): dolor requiescenti animo paulatim inrepit; utrumque denique verbum Tacito transitivum est factum, cf. ann. 12, 31 'societatem nostram accesserant' et Nipp. ad l., ann. 4, 2 'inrepere paulatim militares animos'.

3) In Ciceronis epistulis haec verbo nomina obiecti loco data sunt: victoriam F. 7, 3, 2, domum Sullanam 9, 15, 5, pacem Att. 7, 20, 1; nullum usus transitivi exemplum potest afferri ex Caesare, a quo vel praep. ponitur vel dat., qui casus praecipue in pronomine refl. frequentatur; variavit Lentulus F. 12, 14, 2 desperare rem p., 12, 15, 3 d. de Syria, cf. Antib. I, 389.

4) Cicero, ut sperandi, ita desperandi verbum cum praep. coniunxit Att. 8, 11, 6, cf. F. 2, 5, 2; Livius in constructione intransitiva sibi constitit 25, 6, 7; 22, 61, 14: quod non desperaverit (desperasset) de re publica, 26, 18, 6 desperatum esse de republica.

5) Pro multis exemplis cf. G. 7, 85, 3 de omni salute desperant, 7, 88, 5 desperata salute.

Altera est via, qua verba intransitiva fieri possunt transitiva, ea sc. ratione, ut, quae pars primigenia vel notio verbi est, eadem in vocabulo repetatur, quam grammatistae figuram appellant etymologicam, cf. Cic. F. 5, 2, 7 iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum.[6])

In hac constructione vocabulo, quod, nisi singulari est notione, ut F. 11, 20, 1 (D. Bruti) dictum dicere,[7]) attributo eget, neutrum pronominis vel adiectivi substitui potest, neque id poeticae tantum dictionis, sed cotidiani quoque sermonis videtur fuisse.[8])

Pronominis certe neutrum, quod interioris obiecti vocatur, ut ceteri,[9]) ita Plancus multis verbis tribuit, quae intransitiva habentur, cf. 24, 4 *nihil destiti*,[10]) § 7 extrema: *plurimum iurero:* qui acc. in epistulis nostris saepissime coniunctus est cum verbo proficere[11]): 15, 3 et 24, 4 *si quid*, 11, 3 *nihil*, 24, 7 *multum — plurimum;* ne passivum quidem verbi genus expers est huius consecutionis, cf. 24, 3 *si quid sit offensum.*[12]) —

Adiectivis idem scriptor, sive intransitivum sive transitivum sive ambiguum est verbum, adverbia crebro praetulit; scripsit enim, ut omittam usitatissimum illud 'bene de rep. sentire',[13]) 8, 6 *explorate indicare*,[14]) ibid. et 21, 1 *bene de aliquo sperare*,[15]) 4, 4 *cui maxime cupio;*[16]) liberius porro 8. 2 *celeriter pollicendo*,[17]) 24, 2 *nihil non salutariter*[18]) *cogitare.*[19]) —

[6]) Omnes fere sentiendi et declarandi verba facilius in Latina quam in nostra lingua rei aut sensu perceptae aut oratione propositae accusativum asciscunt, cf. praeter redolendi, resipiendi, similia (ut ligurrire Cic. F. 11, 21, 5) Caes. G. 2, 12 extr. 'operum, quae neque viderant neque audierant, Cic. Cat. 1, 26; F. 8, 15, 1 ecquem — temperatiorem aut legisti aut audisti, 2, 16, 7 Curtius noster dibaphum cogitat, Att. 9, 2a, 3 nihil nisi classes loquens et exercitus, ibid. 13, 1, Att. 5, 29, 1 gratulatus es mihi illius diei celebritatem, cf. Antib. s. v., F. 9, 15, 3 Catulum mihi narras et illa tempora, Q. fr. 2, 13 iam pridem istum canto Caesarem, Att. 11, 9, 2 scelus hominis clamantes, 12, 13, 2 perpetuum morbum iurabo, Cat. 2, 1 scelus anhelare (Cornif. 4, 68); cf. Stinner, Oppeln 64 p. 3. Magis poeticae dictionis videtur Att. 15, 11, 1 Martem spirare, cf. Apul. Met. 5, 9 deam spirat mulier.

[7]) Cf. Ciceronis Phil. 2, 42 dicta dicere (Halm), Trebonii, qui vocabulum participio homonymo explicavit F. 12, 16, 3 'dictum cum magno nostro honore a te dictum', Terentii, qui alteri alterum iuxta positum opposuit Heaut. 4, 5, 12 'dictum factum reddidi'.

[8]) Horatii Carm. 1, 18, 5 militiam crepat ('in ore habet, dictitat' Dillenb.) cf. cum Sat. 2, 3, 33 si quid veri crepat, Ciceronis ad Att. 9, 13 § 8 Dolabella merum bellum loquitur, § 1, cum 14, 4, 1 horribile est, quae loquantur; ad Att. 9, 2a, 3, Cat. 1, 17 (et Richter-Eberh. ad l.) cum Caelii F. 8, 16, § 1 ineunte: nihil nisi triste cogitare, exeunte paragr. 'nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur'; Cic. Tusc. 3, 42 virtutes ebullire, Cael. 8, 4, 2 totus hoc scaturit; ad Att. 11, 9, 2, cf. adn. 6, cum Plaut. Mil. 3, 2, 10 magnum clamat, Most. 2, 2, 57 exclamat maxumum, Cic. Tusc. 2, 56 excl. maius (Synt. § 56, Draeg. I 388), contra eadem paragr. ineunte: exclamant quam maxime possunt.

[9]) Cf. ex Ciceronis ep. ad Plancum data 5, 3 quicquid subveneris, Cat. 1, 10 quidquid increpuerit.

[10]) Cicero quidem aliter F. 5, 11, 1 'nunquam destiti praedicare', ad Att. 9, 10, 3 'sperare non destiti'.

[11]) Thielm. p. 72 'ut par est in verbo, cuius transitiva natura multifariam perlucet'.

[12]) 'Aliquid offensum est' Hofm. I p. 109 vertitur: 'es ist in etwas gefehlt worden. Pronominis accusativum intellegendum esse perspicitur collatis inter se his Ciceronis locis: Phil. 1, 28 admonent quiddam, F. 7, 13, 2 ut te aliquid admoneam, F. 5, 8, 5 quippiam admonitus, 6, 8, 3 de eo admonitus; deinde F. 4, 13, 2 peccare ipsum ('acc. neutr. = in eo ipso' Hofm.) Parad. 3, 26 quicquid peccatur.

[13]) Plancus verba 'de rep.' addidit 18, 3, omisit § 2, de Lepido exponens, de eodem D. Brutus 11, 23 initio scripsit: 'commode sentire', apud Ciceronem denique legimus de or. 2, 322 'benevolos beneque existimantes', F. 6, 1, 3 bene sentire recteque facere.

[14]) Adv. Cicero posuit Rosc. Am. § 138 extr. 'recte et ordine iudicare', adi. vicissim Flacc. 49 'falsum iudicavisse'.

[15]) Huic verbo Cic. obiectum tribuit ad Att. 1, 13, 2 'a quo nihil speres boni rei p.', insuper adv. addidit F. 4, 13, 7 'sperabis omnia optime', quam quidem lectionem impugnavit Madvigius (Adv. crit. III p. 156) praemissoque adiectivo omnia adv. optime delere voluit, adi. (optima) reponere, defendit C. F. W. Müller (Progr. Vratisl. 88 p. 2) qui, utrum adi. an adv. auctor ponere mallet, optionem datam esse confirmavit exemplis ex Ciceronis orationibus desumptis, velut Planc. 64 med. 'vere hoc dicam', Verr. 4, 32 verum hoc dicam, optimo hic, ut puto, iure, cum locutionum, quae inter se sunt oppositae, 'sperare optime' et 'sapienter ferre', suum utraque habeat obiectum, cf. Mend. ad l. et Nägelsbach[8] p. 582.

[16]) Cf. Cic. 19, 2 'cupio omnia rei p. causa'; idem obi. (omnia) huic verbo tribuit 13, 75, 1, adv. altero loco, quo verba cupere et debere inter se respondent, 13, 6a 'quanto opere'.

[17]) In multis similibus nulla aequalis occurrit locutio, cf. Cic. F. 7, 5, 1 prolixe promittere, 4, 13, 3 benigne polliceri, 6, 8, 1 libenter poll., Att. 5, 13, 2 liberalissime, Caes. G. 4, 21, 6 liberaliter.

[18]) Adv. salutariter praeter 24, 2 legitur 23, 2 sal. se recipere; ceteroqui admodum raro: CIL VI 1527 lin. 10 latuisse, Cic. Brut. § 8 armis uti, Val. Max. 5, 2, 3 remp. administrare.

[19]) Quae locutio Planci propria videtur, cum omnibus fere locis, ubi adv. salutariter occurrit, verba, quibus attributum est (cf. adn. 18), ipsa quoque ad hominum salutem pertineant, cogitandi autem verbum, ut sentiendi, cum aliis adverbiis iungatur: bene, male et quae eodem spectant, cf. Cic. Phil. 3, 23 bene de re p. sentire, Cael. 8, 12, 1 male de me cogitare. Phil. 14, 16 'nihil de rep. nisi optime cogitatum'.

Cum accusativo, qui a verbo transitivo dependet, obiectum actioni obnoxium indicetur, **dativus** illius est obiecti, quo actio spectat.[20]) Transit autem verbi actio plerumque ad rem, respicit hominem vel eam rem, quae personam possit gerere, cf. ex Planci epistulis verba promittendi, similia: 21, 1 *omnia ei et recepi et pollicitus sum*, 11, 3 *omniaque ei obsequia polliceor*, 7, 1 *quae tibi recepi*, 8, 3 *quae rei p. — polliceremur*, § 1; 7, 1 *rei p. omnia praestare*, 15, 2 *fidem mihi dedit;* 18, 3 *gratias fortunae agere*, 24, 6 *omne Caesari acceptum referre.*

Qua in re Plancus eisdem, quibus optimi illius aetatis scriptores, vestigiis ingressus est, cf. 4, 2 *persuade tibi*[21]) *te unum esse* (eadem constructio recurrit § 3 et 24, 8). Ex optimorum consuetudine, ut faciendi, ita probandi verbo, quod illius particeps est notionis (= probatum reddere) dativum recte adnexuit: 18, 3 *accessionem sibi facere*,[22]) § 2 *res mihi facit timorem*,[23]) 17, 3 *studium mihi suum L. Gellius — probarit*, 24, 1 *malo me tibi probare*, § 3 *consilium — vobis probari spero.*[24])

Rei dativus asciscitur a verbis quibusdam compositis, ut 18, 1; 21, 3 *interesse*[25]) *omnibus rebus*, ibid. *deesse*[26]) *rei publicae.*

Si intransitivum vel passivum est verbum, omnino, cuius quid intersit, hoc casu indicatur, cf. 17, 2 *non magis sibi quam reip. convaluisse* (dat. commodi), 4, 4 *cupere alicui maxime;* 24, 5 *societas mihi est tecum* (dat. poss.); 4, 2 *tua consilia mihi prudentiae plena videntur*, 8. 1 *huic excusandum me esse*, § 2 *vitam cognitam hominibus.*[27]) —

Neque minus his verbis eorumque participiis adiectiva quaedam propinqua asciscunt dativum.[28]) Et duo quidem adiectiva 24, 6 *necessarius ac salutaris* ex usu communi cum dativo coniuncta sunt, attamen, quod paulo ante Mediceus praebet: *aversissimam illi*[29]) *Hispaniam*, id prae ceteris solutae orationis scriptoribus Planci proprium videtur,[30]) nam ut hoc loco adiectivo participiali eadem, quae adiectivo inimicus, consecutio tribuitur; ita, quod illi oppositum est, part. coniunctus aeque atque adi. amicus bis cum dativo copulatum est 8, 6 et 24, 2; semel cum praepositione: 18, 2.

[20]) Dativus, qui ab initio loci fuit, quo actio spectaret, qua ratione personae casus factus sit, docet Deecke Erläut. § 263.

[21]) In nullo quidem auctore Latino constructionem persuadeo te inveniri inter Ennium (fab. inc. III M.) et Petronium (Sat. C. 46) Antib. II, 262 admonemur; attamen neque Caecina F. 6, 7, 2, neque Cornif. 1, 9, 10 (persuasus auditor) part. perf. pass. huius verbi ad personam referre dubitavit; contra Cicero iam in priore de inv. libro § 23 (auditori persuasum) de industria hoc usu abstinuit, cf. Thielm. p. 58.

[22]) Eius modi locutiones vulgaris potissimum sermonis fuerunt, cf. Antib. I, 519.

[23]) Cicero similia praebet: ad Att. 3, 16 'spem faciunt mihi', 11, 8, 2 'dolorem facio tibi', atque Livius (9, 41, 11; 10, 25, 8) metum — terrorem — facere cum dativo personae coniunxit, cf. Antib. I, 517 infra.

[24]) Probandi genus passivum, si quis alieno iudicio commovetur, dativum asciscit, cf. Cic. ad Att. 6, 1, 8, Antib. II, 351: Cic. ad Att. 4, 14, 1 'quos libros, ut spero, tibi valde probabo', sin suo quis ipse consilio utitur, praepositionem verbum requirit, cf. Cic. F. 11, 14, 1 laetor mea consilia a te probari, Deecke § 268, 2.

[25]) Cf. Draeg. I, 418 (379), de variis verbi notionibus Antib., de impersonalium interest et refert aequata constructione Fr. Schöll, Arch. II, 213 sqq.: Vell. 2, 72, 2, Cic. F. 4, 10, 2.

[26]) Idem fere legitur Caes. C. 1, 1, 2; verbum tamen ut rei (e. gr. C. 3: 79, 1; 93, 2) ita personae dativum asciscit, cf. Cic. F. 1, 9, 17 amicis.

[27]) Cf. Cic. F. 3, 4, 1 meum studium spero tibi esse cognitum, ad Att. 16, 16, 13 nervulos tuos mihi saepe cognitos. Qui dativus auctoris pro ablativo cum praepositione ab increbuit paulatim, praesertim in participiis; atque ex Ciceronis exemplis prae ceteris (ut de or. 2, 146) illud (fin. 1, 11) memorandum videtur, ubi dativus et abl. cum praep. inter se respondent, quo loco Madv. adnotavit: Non poterat Cic. dicere: scribuntur nobis multa, poterat: scripta sunt nobis; cf. Synt. § 86: Sen. ep. 8, 8 quae philosophis aut dicta sunt aut dicenda.

[28]) Cf. part. cognitus, cuius cum verbo suo ratio nunquam intermissa est, et adi. notus, propinquae quidem notionis, memoria tamen originis tota fere exstincta, cf. Thielm. Arch. II, 523 'notus lebte, obwohl ursprünglich Particip, doch im Sprachbewusstsein nur als Adiectiv'.

[29]) Singulare Medicei pron. non plane improbaverim, quod ut Ciceroni (cf. 19, 2) ita Planco (cf. 18, 3; 23, 5) Antonius et solus ab initio et gravissimus adversarius videbatur.

[30]) Contra Wesenbergium, qui, ut antea Crat., Lamb., alii, adi. adversus in textum recepit, codicibus fidem habendam puto, cf. Hofm. II, 200 ad l., ubi ad Quint 7, 1, 11 defensioni aversior, Hor. Sat. 2, 3, 107 addi potest Carm. 2, 4, 19.

Dativus finalis cum in praedicativis enuntiati partibus numerandus sit, relinquitur, ut verba faciamus de praepositione pro dativo propinqua, qua Plancus imprimis debitam tutelam significat, cf. 21, 6 *mori pro vobis,* 11, 3 *pro rei publicae salute etiam cum inimicissimo consentiam,* 23, 1 *pericula pro patria subire,* § 6 *pro urbis salute cur non omnibus facultatibus utamur?* Hac praepositione porro ut iusta proportio, ita aequa compensatio notatur, cf. 21, 2 *pro magnitudine rei celeritatem adhibens,* 24, 1 *pro maximis tuis beneficiis munere defungor.* Vicariae postremo substitutionis vanaeque speciei sententia, quae in praep. inesse potest,[31]) in adverbio perlucet 24, 5 *hunc filii loco substitutum non proinde habere.* —

Et **instrumentalem,** qui quondam fuit, casum, de quo sub abl. videbimus, nonnulla obiecti loco asciverunt verba, neque **genetivus,** qui proprius nominis est casus, in perpetuum a verbi finibus interclusus tenebatur, immo brevi per participia eius aditum sibi aperuit.[32]) Quem genetivum cum ad verba et personalia et impersonalia accedere videamus, adminiculo nominis, quod inest in verbi notione, exceptum atque sustentatum,[33]) tamen affectuum verbis plerumque contineri constat, cf. 21, 1 *Puderet me inconstantiae.*[34]) Neque tamen impersonalia illa integram a linguae primordiis suam sibi consecutionem servasse, multis multorum scriptorum locis potest demonstrari, qui personalem iuxta impersonalem praebent, ita tamen, ut ab optimo quoque nisi in participiis vel infinitivis illa non adhibeatur.[35]) Concedamus igitur Plautum scripsisse Stich. 1, 1, 5 'me haec condicio non paenitet', Livium 36, 22, 3 'si paenitere possint', agnoscamus nominativum[36]) nihil ter positum Cic. Tusc. 5, 53; eundem casum quod ibid. 5, 81, de inv. 2, 43,[37]) cuius rei ne simile quid fieret. Caesar G. 4, 5, 3 cavit; Plancus certe fines vulgo concessos nequaquam transiit infinitivo posito 23, 1 *Nunquam me paenitebit pericula subire.*

d. De praedicativis.

Vocabulum, quod appositivum nominis est factum, si praedicati est, praedicativum vocatur, et hoc quidem illius simillimum est, quoniam, nisi immutabile certique est casus, ad suum est nomen casu referendum.[1])

Imprimis praedicativa illa sunt adiectiva, quae ordinem quendam significant, velut 17, 2 *princeps esse non recusabat,* 18, 3 *ut prior*[2]) *ocurrerem.*

---

[31]) Cf. Caes. G. 6, 16, 3; 3, 18, 2, Nep. Dat. 6, 4.

[32]) Etenim postquam e. gr. part. praes. cupiens ex analogia nominum cupiditas, cupidus genetivum ascivit, quin totum verbum particeps fieret, principio invento non multum negotii erat, cf. Plaut. Bacch. 278 domi (Ritschl) cupientes, Trin. 841 domi cupio, Mil. 964 cupiunt tui.

[33]) Cf. Cic. off. 1, 26 iustitiae capit oblivio, Liv. 8, 2, 2 ipsos belli — taedium cepit, Sen. suas. 6, 17; Schmalz Erläut. p. 17 sq., Deecke § 258.

[34]) Ad huius verbi impersonalis consecutionem 'vereri' applicatum esse, cum Pacuvii: V, 183 (Ribb.) cuius pater veretur maxume, ap. Non. 497 nihilne te populi veretur', tum Ciceronis exemplis demonstratur: ad Att. 8, 4, 1 ne tui quidem testimonii veritus, fin. 2, 39 'quos non est veritum', cf. Dziatzko ad Ter. Phorm. 971, Draeg. I, 164.

[35]) Cf. Cic. Phil. 12 § 7 ineunte part. paenitens, media: ut eos paeniteat professos esse, F. 9, 5, 2 consilii nostri, ne si eos quidem paeniteret, nobis paenitendum putarem; Liv. 2. 3, 4 se paenitere sua sponte, § 5 si paeniteat; Georges, Lex. der lat. Wortf. 1890.

[36]) Cf. Landgr. ap. Reisig. III, 536) contra Zumpt § 442.

[37]) Cf. Antib. s. v. 'poenitere (richtiger paenitere)' ubi accuratissime hac de re disceptatum est. De verbi veriloquio (paene an poena = ποινή) viri docti non omnes nunc idem sentiunt, cf. Deecke § 108, Zimmerm. Arch. VII, 436; quae veterum fuerit opinio, non dubium est, cf. Cic. ad Att. 9, 10 § 2 'poenas dare', § 8 'poenitere', eodem fere utrumque sensu.

[1]) Ita voc. princeps, quod saepius in Caesaris commentariis praedicati est loco G. 6, 44, 2 (qui eius consilii princeps fuerat) 6, 4, 1; 2, 14, 4; 7, 37, 6; appositionis loco ad subiecti accusativum accedit 5, 54, 4 (esse aliquos repertos principes inferendi belli); idem praedicativum medium quendam locum obtinet inter nomen subi. et praedicatum 7, 2, 1 'se — principes — bellum facturos', qui locus simillimus est Planci 17, 2.

[2]) Eiusdem vocabuli gradum comparativum Caesar cum verbis mutuae rationis coniunxit: C. 1, 66, 4 occupare, 1, 82, 5 proelio lacessere, G. 4, 7, 3 bellum inferre.

Pronomina correlativa, singularum sententiarum binis inter se relatis membris, modo ad subiectum referenda sunt, modo ad obiectum, velut 24, 2 *eos tales praestare, quales fuerunt.*[3])

Ad subiectum praedicativa saepissime verbis esse et videri referuntur, ut 4 § 1 et 2; 9, 2 *nisi impetus animi mei fuerit singularis.*[4])

Obiecti praedicativa addi solent verbis indicandi (4, 2 et 4; 24, 8 *putare;* 17, 3 *cognoscere,* cf. 10, 2) faciendi (cum adi. praedicativo: 7, 1, 2; 18, 3; 23, 4, 7; *securos vos reddemus* 24, 8) habendi denique (8, 6 *habeo provinciam paratissimam,* 21, 7 *h. te amantissimum,* 23, 7 *cariorem,* cf. 24, 5 *proinde habere).*

Verbum probare, ut singula quaedam afferamus, cum duplici acc. coniunctum est 24, 1 *memorem me,*[5]) item praestare 11, 1.[6])

Locutio porro *omnia integra servare*[7]) bis occurrit (17, 1 et 21, 6), cuius simillima est 24, 3 *omnia integra sustinere,*[8]) quam variandi causa, ut videtur, conformatam praeter Planci locum nusquam legi.

Suam idem viam in verbo eligendo persecutus est 7, 1 *nec te magis in culpa defensorem mihi parari, quam praedicatorem meritorum m. esse volui.*[9])

Quare ex analogia profitendi,[10]) quod verbum non suis contentum in indicandi fines videtur invasisse, etiam simplici fateri, quamvis rara duplicis accusativi sint exempla,[11]) adi. praedicativum adiudicarim 23, 4 *Laterensis nostri et fidem et animum singularem*[12]) — *semper fatebor;* neque duplicem ablativum, quem uti suo sibi iure vindicat (cf. 17, 3; 21, 1) verbo indigere[13]) denegarim 7, 2 *tali cive praetore indigere:* nam 'praetore' praedicativum esse nomen, non appos., praecipue admonemur verbis inter hoc vocabulum et seq. infinitivum interiectis *in urbanis officiis.*

Participia perfecti passivi praedicativa ad verba habere et tenere accedunt: 8, 1 *diutius exspectationem et spem tenuisse suspensam,*[14]) 24, 3 *non subsidia res p. habet expedita.*[15])

---

[3]) Cf. Cic. Phil. 5, 51 extr.

[4]) Idem adiectivum praedicativum insignitum est collocatione Cic. F. 13, 7, 4 extr. (studium exstiterit singulare) nec non adiectivo opposito communis § 2, cf. adn. b. 6 et 55 extr.

[5]) Idem verbum duplicem acc. asciscit in Cic. ep. 7, 32, 2.

[6]) Cf. 24, 2; Draeg. I p. 383 infra.

[7]) Haec locutio raro alioqui occurrit, ut in Antonii ep. Att. 10, 8 A 2, Plin. 7, 6, 14. Cicero verbum plerumque compositum simplici praetulit, velut F. 13, 7, 3 causam integram conservare, cf. 13, 50, 2, F. 11, 21, 5 rem totam — integram reservare, cf. Verr. 4, 19.

[8]) Idem verbum cum simplici acc. Plancus coniunxit 24, 8 **duriore condicione bellum sustinere,** similiter atque Caes. G. 6, 38, 3 'paulisper una proelium sustinent', Cic. translata notione F. 9, 11, 2 'proelia te mea causa sustinere'.

[9]) Constructio verbi parare Planci est propria, sententia simillima Cic. Flacc. § 1 honoris potius L. Flacci me praedicatorem futurum — quam miseriarum deprecatorem, cf. Schöll, Arch. II p. 206 adn., conferri potest alterius verbi similis constructio, quae Caelii est propria, F. 8, 4, 2 extr. 'se intendere adversarium'.

[10]) Cf. Cic. Cat. 2, 5, Caes. G. 5, 38, 4, Poll. F. 10, 31, 3: 'me profiteor ducem — adiutorem — inimicum'; Cic. de sen. 78 cum Vitruv. 3 praef. Apollo Socratem omnium sapientissimum est professus, 8 praef.

[11]) Cum Plinii ep. 8, 6, 6 'cui se omnes obligatos fatentur', quo exemplo, quae huius consecutionis origo fuerit, docetur, cf. eiusdem alterum locum: 'ut maiorem ducem, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur', Sen. contr. 1, 1, 11; Lact. 1, 11, 28 'cum ipsi lapides hominem fatebuntur'.

[12]) De hoc adi. saepenumero praedicativo cf. adn. 4.

[13]) De huius verbi constructione cf. Antib. I, 662.

[14]) Simillimus Ciceronis est locus pro Cluentio 8 'ne diutius suspensa exspectatio vestra teneatur', cf. ad Att. 10, 1, 2; paulo alia notio inest F. 5, 13, 1; quae locutio plerumque ad animi affectus, cunctanter ad personas ipsas refertur; (quare additur 'quasi' Cic. Brut. 200, 'animi' Liv. 8, 13, 17); de his usitatissima est 'sollicitum habere', (velut F. 6, 13, 3; 7, 3, 1); cuius quae cliens erat, aliquanto post aemula facta est locutio, 'anxium habere', cf. Thielm. Arch. II p. 377 sq., Wölffl. b. Afr. p. 111, 12.

[15]) Quo propius hoc loco participium ad adiectivi notionem accessit, eo minus verbum habere primariae suae, quae ad possessionem pertinet, sententiae amisit. Eadem circuitio ad simplicis temporis notionem accedit Val. Max. 5, 7, 3.

Alios Plancus videtur imitatus esse identidem scribens 'aliquid commendatum habere': 21, 7 *dignitatem* 8, 7 *milites;* ipse novum aliquid protulit 24, 3 *quantum sit committendum, nimium saepe expertum habemus.*[16])

Participia fut. pass. pluribus verbis addita sunt: *curare* 21, 6, *dare* § 3, *commendare* 8, 7.

Sed ea quoque in praedicativis numeranda esse apparet, quae verbo 'esse' addito[17]) infinitivi fierent cum nom. vel accusativo, cf. 23, 4 *dicitur victurus,* 8, 7 fin. *petendum videtur,* 15, 2 *Lepidum adinandum putari,* 21, 3 *fidem non habendam putari,* 23, 4 *cum in fraudem se deductum videret.*

Uno loco 21, 7 *habeo te et amantissimum et summae auctoritatis* praedicativum mutabile cum **immutabili,** de quo iam dicendum est, videmus coniunctum.[18]) Nomen interdum, ex quo pendet gen. praedicativus, quamvis saepe omissum non exspectetur, additum est 15, 4 *Bruti erit officium occurrere.*[19])

Ut possessivus, ita qualitatis genetivus praedicativus est ducendus 21, 5 *huc me venire summae dementiae et temeritatis esse vidi,*[20]) 24, 3 *moderatissimi atque humanissimi fuit sensus,*[21]) cf. 21, 7. Neque ablativus qualitatis, genetivo etiam frequentior, in Planci epistulis deest, cf. 11, 3 *maximo sum animo.*[22]) Pretii quoque praedicativus occurrit genetivus 15, 1 *pluris putare,* cui tamen, ut ablativo,[23]) adverbium potest substitui, velut 4, 2 extr. *propter amorem carius sunt aestimata.*[24])

Postremo consilii dativus, qui finalis vocatur, praedicativus est, cf. 7, 2 *praesidio rei p. esse,* 17, 3 *ei sum testimonio,* 24, 2 *de*[25]) *militum commodis fuit tibi curae.*

Utriusque generis praedicativa, et mutabilia et quae non possunt mutari, adverbii vicem facile videntur obtinere.[26])

---

[16]) Proxime accedunt, quae a Cicerone initium duxisse videntur: cognitum, compertum, exploratum habere, cf. F. 10, 12, 1 'habere penitus consilia cognita'; Cluent. 127 et Font. 29; F. 6, 14, 1. Harum locutionum imprimis tertia praeter sententiam interrogativam, velut 10, 12, 1 extr., infinitivum asciscit cum accusativo: 4, 1, 2; 11, 6, 1; cf. Caes. G. 6, 5, 3 pro explorato h.; Arch. II p. 515—528.

[17]) Scriptoris enim arbitrio permissum fuisse, utrum inf. esse ad nomen praedicativum adiceretur an omitteretur, colligi potest ex Caesaris locis G. 4: 16, 4; 17, 1.

[18]) Cf. Caes. G. 5, 7, 8 clamitans liberum se liberaeque esse civitatis; Cic. F. 12, 4, 2 summa laus et tua (= Cassii) et Bruti, 9, 6, 2 ergo haec consilii fuerunt, reliqua necessaria, praeterea 7, 30, 2 cum 7, 29, 1. Simili ratione nominis praedicativi genetivus, quem Caelius adhibuit F. 8, 10, 5 'tui consilii est, velisne perseverare: mei officii est meminisse', comparari potest cum accusativo Caesaris G. 5, 27, 9 Ipsorum esse consilium, velintne cet.

[19]) Cf. Cic. 20, 1 extr. 'alterum proprium est prudentiae tuae'.

[20]) Cf. Cic. F. 6, 11, 2 est tuae sapientiae oblivisci, 4, 9, 2 tempori cedere semper sapientis est habitum, Sall. Iug. 83, 1 stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, praecipue Caes. G. 4, 13, 2 exspectare vero summae dementiae esse indicabat.

[21]) Cf. Caes. G. 7, 77, 3 magnae habitus auctoritatis; gen. qualitatis, qui hoc loco est praedicativus, facillime fit appositivus, cf. Draeg. I p. 461, qui praeter alia exempla haec affert: Plaut. Stich. 489 scis tu med esse uni subselli virum, Capt. 471 Lacones, uni subselli viros, (v. Brix ad l.).

[22]) Cf. Cic. F. 7, 30, 1 fuit enim (Caninius) mirifica vigilantia; qui abl. praedicativus quam propensus sit ad usum attributivum, cognosci potest alio verbo substituto; Cael. F. 8, 6, 3 consules habemus summa diligentia, (Pomp.) ad Att. 8, 12 A 3 quas (sc. legiones) dubio animo habeo.

[23]) Cf. Cic. ad Att. 2, 4, 1 male emere.

[24]) De sententia cf. ad Brut. 2, 4 extr. 'si quod amas eum, eo maiora facis'; de adverbio Cic. pro domo 115 emit domum — prope dimidio carius, (ad Brut. 1, 16, 6 valde care aestimas tot annos); de variis, quae aestimandi verbis addi possunt, adverbiis: gravius, levius, optime, tenuissime, cet. Antib. I, 111.

[25]) In eadem locutione non pauci usi sunt praepositione: Caelius 8, 11, 4, Lentulus 12, 14, 4, Cicero filius 16, 21, 8, Cicero pater ad Att. 11, 6, 3 et F. 10, 1, 1, cf. Nieländer (de dativo factitivo) Progr. Krotoschin 1874 p. 10 et 12, Schneidemühl 77 p. 4; 93 p. 9: Liv. 44, 34, 4 'cetera scire (sc. militem debere) de se dis immortalibus et imperatori suo curae esse'. Idem ille Caelius verbo impersonali opus est dativum finalem adnectere non dubitavit 8, 5, 1 'quantum gloriae triumphoque opus esset', quod Cicero vitavit, cum, in qua ep. respondit, scriberet 2, 10, 2 quod esset ad laureolam satis.

[26]) Cf. Caes. G. 3, 24, 2 'tuto dimicare, tutius (q. e. praedicativum mutabile) arbitrari'; § 3 praedicativum immutabile infirmiore animo et quae alia de Romanis praedicantur, quo referenda sint, antecedenti accusativo impeditos indicatur. Hoc l. alterum respondet alteri praedicativo; nam, quo infirmiore animo Romani essent, eo tutius Galli se dimicaturos arbitrabantur.

e. De ablativo adverbiali.

Ablativus, quem ex tribus casibus (separativo, locativo, instrumentali) coaluisse nunc inter omnes fere doctos constat,[1]) maxima ex parte[2]) adverbii munere fungitur,[3]) neque tamen, quo is casus nomine appellandus sit, facile ubique diiudicaveris.

Propriam ablativi notionem id praecipue genus videtur servasse, quod **separativi** nomine notatur.[4]) Quo casu, cum qua civis Romanus tribu ortus esset, per compendium indicari soleret, Orellius locum in codicibus corruptum 17, 3 *L. Gellius de tribus fratribus Segaviano* (M, egaviano HD, cf. Mend.) ita corrigere conatus est: 'L. Gellius D. F. [tribu] Fab(ia), Segovia', cf. F. 8, 8, 5 sq., aliter Kleyn p. 11 coll. 9, 21, 3.

Huic ablativo a verbis compositis dependenti semper fere Plancus praepositionem addidit: 17, 1; 23, 1 *abesse ab,* 18, 3 *abstrahere a,* 8, 7 *defendere,* 18, 2 *se removere,* cf. § 4 *castra movere ab,* 9, 2 *remittere de;* plane ex grammatistarum praeceptis addita est praep. 4, 3 *discrepare a,*[5]) quod minus potest dici de verbo 9, 2 tradito: *ita ab imminentibus malis resp. liberetur;*[6]) uno loco ex communi loquendi usu praepositio omissa est 15, 2 *prohibere provincia.*[7]) Rursus ut animus a re alienus significaretur, praepositio plerumque posita est: 15, 3 *ab re p. alienata* (sc. exercitus pars) 24, 4 *aversum ab hac cogitatione,* § 2 *aversos ab sollicitudine,* dativo, ut supra vidimus, non excluso, cf. 24, 6.

Ut, quae loci pars intellegenda sit, accurate definiatur, praepositione opus est, cf. 18, 3 *intra cutem subest,*[8]) quae vel ad oppidi nomen accedit: 11, 2 *cum iter ad Mutinam dirigerem,* 17, 1 *Antonius ad Forum Iulii pervenit.* Haec tamen praepositio non solum, quo quid dirigatur, sed etiam, quo quid circuitu fiat, significat, cf. 18, 2 *exspectare ad Isaram,* § 4 *castellis ad capita positis,* 17, 1 *ad Forum Voconii castra habet;*[9]) ad ipsius, quae agitur, rei spatium actio restringitur praepositione in, cf. 15, 3 *pontem facere in Isara seq.* 4, 4 *in Gallia citeriore — in urbe* 17, 2 *in castris,* 23, 6 *stamus in acie,* cf. Cic. Lig. 9 in acie Pharsalica.[10])

Ipsum voc. locus attributo praeditum nulla indigere praepositione satis notum est, cf. 21, 1 *propinquis locis,* § 6 *l. opportunis,* § 7 *ne quo loco,* 23, 1 *uno loco esse,* 18, 3 *uno loco se tenere.*[11]) Ita ablativus **locativi,** qui quondam fuit, munere fungitur.

---

[1]) Cf. Landgraf, Reisig 508) sub fin., Schmalz Erläut. p. 37 sq., Synt. p. 429, 436; post commentationes, quas Delbrück 1867 edidit, Ebrard 79, etiam G. Zieler, Beitr. zur Gesch. des lat. Abl. diss. Lips. Bonn 1892.

[2]) Obiectum, quod nos intellegimus, qua ex parte in lingua Latina casu instrumentali significetur, infra videbimus.

[3]) Quare nominum ablativus cum adverbiis, quae et ipsa partim ex illo casu orta sunt, cf. Deecke § 200, saepe componitur, cf. e gr. 'iure ac merito, recte et ordine'.

[4]) Cf. Reisig § 339, Deecke § 298: Cn. Magius Cremona Caes. C. 1, 24, 5; Lupus Progr. 73 § 38: ortus municipio Tusculo Nep. Cato 1, 1; Synt. § 102, Anm. 2.

[5]) Cf. tamen Sen. ep. 20, 2 orationi vita dissentiat — verbis opera concordent, Draeg. I p. 406.

[6]) Cicero huic verbo plerumque solum ablativum rei tribuit, ut 20, 2 'omni cura liberati sumus', fin. 5, 53 loco simillimo, cf. F. 9, 16, 1; 15, 4, 2; raro praepositionem, ut ad Att. 10, 15, 4 te a quartana liberatum gaudeo, cf. Antib. s. v.; idem adiectivis: liber (ad Att. 1, 13, 2) vacuus (ad Q. fr. 1, 3, 5) integer (Verr. 1, 14) incolumis (Planc. 12) interdum praepositionem addidit, cf. Kühner Gr. II p. 275 sq., Draeg. I p. 620; Caesar simili ratione scripsit G. 3, 26, 2 intritus a labore, Caelius F. 8, 2, 1 intactus ab sibilo, cf. Burg p. 25, Trebon. 12, 16, 2 'feriatus a studiis', quae verba admonent de Cic. ad Att. 8, 14, 1 tempus mutum a litteris.

[7]) Cf. Cic. Verr. 3, 60 prohibere aliquem cibo tectoque, Caes. G. 1, 1, 4 finibus.

[8]) Cf., quae inter se opposita sunt, Caes. G. 5, 44 § 4 et 13: extra — intra munitiones.

[9]) Cf. Draeg. I p. 575, 577: ad Att. 12, 36, 2 extr. ad villam eras ('zu Hause'), Att. 10, 4, 8 fuit ad me.

[10]) Quam praepositionem a loci ad temporis notionem transferri, velut 8, 2 extr. *in manibus habere,* 21, 6 *in possessione victoriae permanere,* porro modi 17, 2 *in consilio,* § 3 *in ea re,* deinde causae 24, 4 *in familiaritate,* condicionis denique 7, 1 *in culpa,* iam supra vidimus.

[11]) Caesaris (C. 3: 41, 2; 94, 1) et Nepotis (Eum. 5, 7; Hann. 12, 3) simillimis locis collatis efficitur, locutionem 'uno loco se tenere' idem fere valere, quod 'suo se loco tenere', cf. Poll. F. 10, 32, 4 uno loco habere, Cic ad Att. 3, 20, 1 extr. eisdem in locis esse, Liv. 10, 25 med. 'uno loco sedere'.

Non minus accurate in Latina quam in nostra lingua, ratione tamen magis spectata, quae inter plures personas intercedit, ita ut pro ubi quaeratur unde, qua quid in parte fiat, explicatur: 24, 8 *securos vos*[12]) *ab hac parte reddemus*, 21, 1 *haec ex aliena levitate pendent;* unde epistula data sit 23, 7; 24, 8.[13])

Id quoque totius potius latinitatis quam nostri auctoris proprium est, ut non solum, quo motus spectet, sed etiam, ubi quid initio fuerit vel unde initium ceperit, indicetur, cf. 23, 6 *quidquid aliquando futurum fuit in castris perditorum, hoc (= huc) omne iam convenit,*[14]) 24, 4 *aversum ab hac cogitatione ad alia consilia se contulisse*, § 6 *quae mens eum a gloria — avocarit et ad cogitationem consulatus bimestris transtulerit.*[15])

Ut locativi et loci et temporis vestigia extant,[16]) ita ablativo, utriusque qua quid parte contineatur, potest indicari. Occurrit autem **abl. temporis** in Planci epp. 4, 4 *mense Ianuario*, 8, 3 *superiore anno*, 23, 2 *eodem die.* Accusativo vero, per quod quid spatium pertineat, significatur, cf. 18, 3 *non horam constitisset*, eodem casu, quo quid spatio absit, cf. 17, 1, nisi forte ipsum voc. spatium in ablativo ponendum adhibetur: ibid. *bidui spatio abest.*[17])

Ad temporis pariter atque loci vel terminum vel spatium accurate definiendum praepositione opus est,[18]) cf. 4, 2 *meae a pueritia observantiae*, 24, 6 *ex eo tempore, quo*, 23, 7 *in dies habeo cariorem*, 7, 2 *et nunc et in posterum.*[19]) Ut hoc loco adverbium locutionis praepositionalis vicarium esse videtur, ita ut nunc idem fere significet, quod in praesentia, similiter interdum adverbium temporale adhibetur coniunctione sequente: 7, 2 *usque mihi temperari, dum perducerem eo rem.*[20]) Adverbia post, ante praeter substantivi casum, qui abl. mensurae intellegitur, cum plerumque postponantur, qua par est collocatione a consimili praepositione possunt discerni: 21, 1 *biduo ante,*[21]) 15, 2 *non multis ante diebus.*[22]) Sed cum temporis spatium inter duo facta intermissum, quod certo quodam plerumque dierum numero continetur, illis ipsis, unde et quo quid pertineat, terminis constituatur, abl. temporis pro exspectato ablativo mensurae adhibetur: 18, 4 *diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me coniungam.*[23]) Omisso adverbio vel praepositione pronomen ponitur et quidem hic, si loquentis praesens tempus, ille vel is, si praeteritum respicitur.[24]) Praesenti

---

[12]) Neque tamen certae alicuius personae nomine opus est, cf. Cic. ad Att. 11, 6, 6 haec eodem modo ex hac parte fiunt.

[13]) Cf. quae Wesenb. adnotavit in em. alt. p. 38 ad F. 11, 11, 2.

[14]) Cf. Caes. G. 3, 16, 2 navium, quod ubique fuerat, in unum locum coegerant.

[15]) Verbi (finiti) in neutro sententiae membro omissi exempla habemus Cic. Phil. 10, 6 (legiones) quas ille a scelere avertit et ad remp. traduxit, F. 5, 13, 5 me abducam ab omnibus molestiis transferamque animum ad ea, Mur. 46; Caes. G. 5, 27, 9; de verbis contrariis proficisci et referre uno loco compositis (e. gr. Phil. 9, 11) cf. Schüssl. Progr. 80 p. 10, 26 infra; neque tamen desunt exempla verbi unius cum pluribus praepp. coniuncti, cf. F. 1: 2, 3; 5a, 2 traducere ab — ad, Phil. 5, 28 ab urbe in Galliam avertit.

[16]) Cf. domi, vesperi.

[17]) Cf. F. 12, 15, 7 extr. (Lent.) quatridui iter Laodicea afuisse, Tac. ann. 3, 71 plus quam binoctium abesse.

[18]) De praep. in c. abl. = intra cf. Zumpt § 479: Sall. Ing. 28, 2 in diebus proxumis decem, 38, 9 diebus decem, de praep. per Stolz, Arch. II p. 497 sqq. et Antib.

[19]) Cf. ex Cic. ep. 10, 1 § 1 ad id tempus rei p. spiritum ducere.

[20]) Cf. Cic. nat. d. 2, 124 usque eo premere, dum amitterent.

[21]) Cf. Cic. (F. 10) 25, 2 post biennium, 6, 20, 1 triduo ante, ad Brut. 1, 3, 2 triduo vero aut quatriduo ante hanc rem.

[22]) Cic. Mur. 51 paucis diebus ante, 88, 89 p. a. diebus.

[23]) Cf. Caes. C. 1, 36, 5 diebus triginta, a qua die materia caesa est, G. 4, 18, 1 diebus decem, quibus materia coepta erat comportari, omni opere effecto, praeterea 3, 23, 3; 5, 26, 1; C. 2, 32, 5; G. 1, 48, 1 accidit repentinum incommodum biduo, quo haec gesta sunt, 1, 23, 1, Cic. Rosc. Am. 20 quatriduo, quo haec gesta sunt, res defertur.

[24]) Cf. Cic. Phil. 14, 10 Recordamini, quid hoc biduo timuerimus, § 15 cum hoc triduo vel quatriduo tristis a Mutina fama manaret; Caes. C. 1, 41, 1, Cic. ad Att. 4, 1, 6 eo biduo, in Pis. 14 illo fere biduo. In qua tamen re tanta est ambiguitas, ut verba 'paucis illis diebus' modo (Verr. 4, 39) idem fere valeant, quod 'paucis ante diebus', modo (Cluent. 108) 'p. post d.', cf. Reisig 567b).

tempore utrum prior an posterior terminus statuendus sit, ex verbo finito cognosci potest.[25]) Quin etiam nullo addito pronomine ex ipsa verbi notione temporis rationem posse perspici Plancus ostendit 23, 3 *cum collega, quem triduo, cum has dabam litteras, exspectabam,*[26]) ubi tamen interiecto enuntiato temporali, quod etiam pronomine demonstr. instructum est, temporis terminus significatur. Ex ablativo temporis facillime fit et ablativus modi, attributo quodam insignitus, et abl. causae vel instrumenti, quorum uter statuendus sit, saepe ex solo verbi genere pendet.[27])

Abl. causae apud Plancum ter una in paragrapho occurrit: 17, 2 *Fratrem meum assiduis laboribus confectum*[28]) *coegi isto proficisci, quod illa valetudine*[29]) *conficere se posset — acerbissimo interitu consulum rem p. nudatam*, simili cumulo: 8, 6 *deum benignitate sumus paratiores: legiones et sua fide virtuteque reip. coniunctissimas et nostra liberalitate nobis obsequentes;* praeterea: 9, 2 *nihil accedere volo suffragatione vestra*, 21, 1 *carebo, ne mea credulitate rei p. summa fallatur*, 23, 1 *hoc vitio*[30]) *sum deceptus.* Eundem ablativum agnosco 4, 3 *reprehendere iure,*[31]) 8, 5 *quo nomine.*[32]) Verbi genere passivo adhibito auctor actionis praepositione ab indicandus est, quod non ita saepe in Planci epp. factum est: 4, 2; 23, 5; 7, 1 *non minus a te probari quam diligi semper volui.*

Si causa posita est in animi affectu, plerumque part. aliquod[33]) accedit, ut 23, 5 *furore incitati.*

Variis quoque praepositionibus ex, in, ab Plancus causae notionem attribuit. Quarum prima modo loci notionem servat,[34]) modo rerum conexum indicat,[35]) cf. 23, 1 *ex animo credere,*[36]) 21, 7 *ex labore in febriculam incidit;*[37]) solus abl. causae laboribus 17, 2 comparet.

---

[25]) Cf. Cic. ad Att. 8, 14, 2 quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus scis, Mil. 26; F. 7, 9, 1 his duobus mensibus scripseram.

[26]) Tempus futurum verbo finito expressum est Somn. Scip. § 2 hanc (Carthaginem) hoc biennio consul evertes, latet in verbi notione F. 7, 4 extr. (Cic.) me hoc biduo aut triduo exspecta.

[27]) Cf. ex Caesare 4, 12, 3 in eo proelio interficiuntur, C. 1, 46, 4 in primo congressu ceciderunt, G. 1, 26, 2 hoc toto proelio, 4, 2, 3 equestribus proeliis desiliunt (abl. temp., cf. 5, 55, 2); G. 1, 26, 1 ancipiti proelio pugnatum est, C. 1, 46, 3 ita vario certamine p. c. (abl. modi, cf. 8, 28, 4 fit proelium acri certamine); proeliis calamitatibusque fractus G. 1, 31 § 7 (abl. causae, cf. 8, 19, 8 nulla calamitate victus, 6 8, 6 primo concursu in fugam coniectus) ibid. § 12 proelio vincere (abl. instr., cf. saepissime usurpatum illud: proelio lacessere).

[28]) Cf. Cic. F. 7, 26, 1 confectus languore et fame, Caes. G. 5, 31, 5 languore militum et vigiliis periculum augetur.

[29]) Hic sive causae sive qualitatis abl., si non certam spectat vocem, non longe abest ab illo, qui absolutus vocatur, ablativo, cf. Cic. F. 5, 21, 5 istinc te ne moveas tam infirma valetudine, ad Att. 10, 11, 3 hac iuventute.

[30]) Dolo decipi non possumus, nisi credulitati indulgemus; illud igitur decipientis, ut ita dicam, instrumentum est, haec causa et necessaria decepti condicio.

[31]) Cf. versum Ennianum Cic. F. 7, 13, 2, qua de re Gellius agit 20, 10.

[32]) Quod simile Servius scripsit 4, 5, 5 'hoc nomine', Manutius explicavit 'hanc ob causam'; primaria vocabuli vis magis servata est F. 11, 18, 3; 12, 12, 3, ad Brut. 1, 4, 3; 2, 5, 1; idem abl. in legis formula occurrit 13, 28, 2 'amplius eo nomine non peti', neque, nisi celeberrima apud iudices vox fuisset, tam facile ad verba iudicialia suppleretur, cf. F. 2, 1, 1; variat Cicero 14, 3, 4 'ea re' et 'eo nomine', cf. Antib. s. v. II 141, Schmalz Z. f. Gymn. W. 81 p. 119, Synt. § 92 Anm.

[33]) Quod idem adhibetur causa extrinsecus petita, cf. Caes. 4, 14, 3 milites perfidia (sc. hostium) incitati in castra irruperunt. Cuius participii praepositiones vicarias factas esse, cum Nepotis, Livii, tum largis Caesaris exemplis probatur, cf. Nep. Dion. 4, 2 non odio hominis, sed suae salutis causa, Eum. 11, 2 propter odium — propter amicitiam; Liv. 36, 25 med. ab ira — ab odio, saepius (Z. § 305); Caes. C. 1, 32, 7 timore, G. 1, 22, 4 al. 'timore perterritus', C. 2, 35, 6 propter timorem, 1, 33, 1 timoris causa (cf. G. 1, 39, 2; F. 10, 34, 2 Lep.) 3, 69, 4 ex metu.

[34]) Ipsa, qua quis utitur, condicio causa proposita est Caes. G. 5, 27, 4 'ex humilitate sua probare'; idem verbum solum abl. ascivit Att. 8, 15 A fin. (Balb.) 're probare'.

[35]) Non rara est locutio 'ex vulnere perire, mori', e. c. Liv. 30, 19, 5 et As. Poll. F. 10, 33, 4, cf. Antib. I, 440.

[36]) A Planci locutione 'ex animo', cui Cicero ablativum modi praemisit F. 11, 22, 2 'maiore studio', adv. vere adnexuit F. 9, 16, 2 (cf. Phil. 11, 34) simulate opposuit nat. d. 2, 168, non ita multo distat comicorum corde (amare) cf. Rebling, Charakt. p. 20, vel proverbiale toto pectore Cic. leg. 1, 40, ad Att. 13, 12, 4, F. 10, 10, 2, cf. Landgr. Blätt. 16 p. 318.

[37]) Cf. Cic. inv. 2, 14 ex lassitudine artius dormire. Verbi intransitivi exemplum passiva sequuntur: 'voluptate, molestia affici ex re Cic. F. 7, 17, 2; 1, 9, 20; 6, 10, 2 extr. 'ex eorum sermone adducor, ut sperem'; Cornif. 4, 63 'ex ea re homo hercle sane conturbatur', quo loco, ut ait Thielm. p. 78, tota fere narratio cotidiano sermone conscripta est.

Ita fit, ut res, ex qua quid fieri dicitur, pro norma quadam imitanda videatur proposita:[38]) 24, 5 *ex tam insigni amicitia*, 17, 1 *negotium ex sententia*[39]) *conficere*, 11, 2 *remp. ex vestra sententia administrare*,[40]) 4, 1 *ex sermone alicuius scribere*.[41]) Cum verbis cognoscendi constanter Plancus hanc praep. coniunxit: *cognoscere ex* 4, 1 med.; 7, 1; 18, 1; 8, 5 *intellegere ex*, § 4 *videre ex*.[42]) Altera quoque praep. in, quamvis loci notio infixa haereat, cum persona ponatur in media rerum, qua causa contineatur, condicione, vi causali afficitur[43]) et praecipue a verbis affectuum asciscitur.[44]) In illa denique, quam tertiam nominavimus, praepositione ab[45]), licet nonnunquam ad ablativum respectus accedat, Plancus notionem causalem inesse voluit 8, 2, quo l. tres inter se respondent praepositiones.

De ablativo respectus, quo is loco cumulatur vel alter alteri opponitur, nemo fere dubitat, ut 9, 3 *copias adduco et numero et genere et fidelitate firmissimas*, 24, 3 *ita universus exercitus numero amplissimus est, firmitate exiguus.* Quare, ut, quae sunt opposita inter se, 'nomine, verbo, dictu, auditu' una ex parte, altera 're, exitu', pro eius modi ablativo habentur,[46]) ita haec altera per se posita eodem numero duxerim: 8, 3 *exitu praestare*, 11, 1 *exitu rebusque cognoscere*.[47])

Huic quoque ablativo praepositiones substitui possunt: velut ad vel, quam paulo supra memoravi, praep. ab, cf. 9, 3 *ad tempus consilium capiam*,[48]) 11, 1 *sententiae ad tempus arbitriumque amicorum compositae*,[49]) 21, 7 extr. *in Hirtii locum me subdas, et ad tuum amorem et ad meam observantiam;*[50]) 15, 2 *Antonius ab equitatu firmus*,[51]) 8, 6 *animo paratus*, paragr. ineunte: *ab*

[38]) F. 15, 12, 1 Cicero 'ex tua dignitate' eodem fere sensu adhibuit, quo 15, 7, 1 'pro tua dignitate', cf. Hofm. 1 p. 130, Süpfle-B. p. 153 ad F. 5, 8, 4; pro Balb. 61 moderari ex, Vell. 2, 22, 5, Phil. 5, 11 ex commentariis agere, § 12 ex actis.

[39]) Inter duas Planci locutiones ex animo 23, 1 et ex sententia 17, 1 media Ciceronis interposita videtur 'ex sui animi sententia' Acad. 2, 146.

[40]) Similia in Ciceronis epistulis legimus 'ex sententia conficere' F. 2, 15, 1; 'gerere' 2, 7, 3; 1, 7, 5.

[41]) Praepositionem ex vim causalem recepisse, neque tamen localem suam amisisse, Mezger optime illustravit nostram quidem locutionem vertens 'aus Anlass der Unterredung', similem locum Cic. F. 3, 4 extr. (ex illius sermone ad te scribam plura) 'wird mir die Unterredung mit ihm Stoff zu weiteren Mitteilungen geben', cf. Cic. F. 12, 4 extr. scriberem plura si rem causamque nossem; nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum atque fama.

[42]) Cicero ablativum plerumque solum posuit, cf. F. 6: 10, 2; 9, 2; 8, 1: multis rebus intellegere, pluribus r. cognoscere, omnibus r. perspicere, 15, 4, 7, qui solus abl. cum praep. alternat 7, 19 med. 'litteris — percipi; ex libris cognosci'.

[43]) Cf. Cic. F. 12, 25, 5 neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti, Draeg. I p. 651: Liv. 3, 8, 7 magis in re subita quam quod.

[44]) Cf. Cic. F. 6, 4, 4 in laude delector, Nat. d. 3, 87 'propter virtutem iure laudamur et in virtute recte gloriamur', quo loco duae, a quibus virtutis nomen dependet, praepositiones inter se respondent.

[45]) Haec praep. ex verbis suspensa notionem causalem prae se fert, cf. Nep. reg. 3, 3 periit a morbo, Nipp.-Lup., Caes. 7, 10, 1 laborare a re frumentaria (5, 28, 5 premi re frum.); eadem ab adiectivis asciscitur, velut Cic. ad Att. 5, 18, 2 locus copiosus a frumento, Brut. 198 cum graviter tum ab exemplis copiose, Cael. 8, 14, 1 'superiore a vita invidiosus'.

[46]) Cf. Cic. ad Att. 2, 24, 1 res est non tam exitu molesta quam auditu, Liv. 31, 38 pleraque dictu quam re sunt faciliora, Liv. 7, 30, 12 verbo — re; re vera Cic. Cluent. 54, Verr. 3, 133, re ipsa Nep. 19, 3, 3.

[47]) De notione vocabuli exitus cf. Ov. fast. 5, 565 exitus accessit verbis; de ablativi usu Cic. ad Brut. 1, 10, 4 extr. exitu liberare.

[48]) Eandem locutionem et Cicero et Caesar cum alia praep. coniunxit: G. 5, 8, 1 pro tempore et pro re, ad Att. 9, 2a, 3 ex re et ex tempore, cf. F. 12, 19, 3, Caes. C. 3, 51, 8.

[49]) Similia occurrunt Caes. G. 4, 23, 5 ad nutum et ad tempus, 1, 31, 12 ad nutum aut ad voluntatem, Cic. or. 24 ad arbitrium et nutum, Draeg. I p. 580 sq.

[50]) Ablativi vicariam esse praepositionem ad apparet his duobus Ciceronis locis inter se collatis: F. 10, 1, 1 vitae satisfeci vel aetate vel gloria, Phil. 1, 38 extr. 'mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem, vel ad gloriam'; praeterea cf. Cic. F. 5, 12, 7, Nep. Epam. 2, 3, Lupus Progr. 1873 p. 6.

[51]) Eadem praep. ex hoc adi. pendet 11, 13, 5 'quam paratissimi et ab exercitu reliquisque rebus', bis Cael. 8, 10, 1 paratus (-ior) ab exercitu, Cic. ad Att. 7, 15, 3 flagitiose imparati cum a militibus, tum a pecunia; solus abl. Cael. 8, 14, 4

omni re paratiores.[52]) Praepositione in, quam Cicero compluriens ita posuit, Plancus supersedit 23, 6 *omnibus rebus abunde rei p. satis faciam*.[53]) Similis ratio intercedit inter Planci 9, 3 *celeritate satis faciam* coll. Caes. G. 2, 26 fin. 'nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt'.

Quin totum enuntiatum relativum 'quod attinet ad', quo Plancus subiectum 23, 6, fortasse etiam obi. 24, 4 (cf. Mend.) circumscripsit, simili sensu ac praepositionem de usurpatum videmus.[54])

Item abl. respectus statuendus videtur 4, 2 extr. *vel inimicissimi iudicio tanta* (sc. bona); contra 8, 6 *omnium civitatium consensu* causam 'provinciae paratissimae' indicatam putarim; eundem limitationis casum adi. dignus apud nostrum quoque auctorem asciscit 7, 2 *dignum aliquid et consulatu meo et vestra exspectatione.* Verbum denique metiendi Cicero ubique fere cum solo nominis ablativo coniunxit,[55]) Plancus praepositionem ex addidit 4, 2 *ex mea conscientia metior*, obversante eius animo, ut videtur, Ciceronis consecutione haurire ex (3, 4).

Ablativus mensurae[56]) cum vocabulo comparativo coniunctus non solum, quo quid loci vel temporis spatio altera re propius sit vel remotius, designat, sed etiam, quo contentionis gradu verbi alicuius actio vel affectus ab alterius differat, cf. 24, 4 *aliquanto propius*, 4, 1 *multo ante*; 18, 2 *cum Lepidus rogaret et Laterensis multo etiam magis prope implorans obtestaretur.*

In correlativis adhibendis, quibus ad duarum rerum comparationem nihil est aptius, Plancus variandi studio non mediocriter indulsit, cf. 23, 5 *quo magis me petiverunt, tanto maiorem iis frustratio dolorem attulit*, 11, 1 *certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi quam ceteris consilia mea volui esse nota.*[57])

Abl. instrumenti occurrit 8, 7 *nec ulla spe decipi nec ullo metu terreri*[58]) ('Vorspiegelung, Schreckbild'); qui cum ablativo causae, a quo non ita longe recedit, vices alternat 4, 2 *aut fortunae beneficio tributa aut meo labore parta*, quamvis enim magno labore nisi fortuna adiutrice nihil fere prospere succedit, item 7, 1 *et tua exhortatione excepi et mea affirmatione — recepi.* Quin idem

extr. et animo et copiis paratus, Cic. F. 15, 4, 6 'adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus', quod nequaquam est mirum Att. 5, 20, 5 homines — omnibus rebus ad defendendum parati, cf. Hofm. II p. 192, Antib. II p. 195; de adi. instructus cum praep. ab (Brut. 233; 161) cf. Schüssl. 80 p. 7.

[52]) Ut Deecke § 315 'omnibus numeris absolutus' cum altera hac locutione contulit 'ab omni parte perfectus', cf. Caes. G. 3, 3, 1 'plene perfectus', ita comparaverim F. 6, 7, 2 'omnibus rebus felix est', quae Caecina ironice scripsit, cum Horatii carm. 2, 16, 28 nihil est ab omni parte beatum, Cic. fin 4, 55 summe beatus.

[53]) Cf. Cic. F. 5, 4, 2 'omnibus in robus' cum 1, 3, 2 omn. rebus, 4, 4, 4 'in ceteris rebus' cum 12, 14, 4 (Lent.) 'cet. rebus', qui loci ita fere inter se differunt, ut praepositione posita, qua persona utatur condicione, omissa, quae eius facultas sit, significetur. Abl. 'omnibus rationibus', quem Caes. G. 5, 1, 7 item cum verbo satisfaciendi coniunxit, prorsus adverbii loco habitus est a Lentulo F. 12, 15, 6, cf. Cael. 8, 11 § 1 omn. rationibus, § 3 omn. rebus, Thielm. Arch. II, 513 sq.; locutio illis opposita 'nulla condicione' apud Pollionem legitur F. 10, 31, 4, cf. b. Afr. 79, 1 et Wölffl. ad locum.

[54]) Caelius quidem modo hanc locutionem (cf. 8: 2, 2 extr.; 5, 1; 10 § 1 et 5) modo praepositionem de adhibuit (ut 8: 11, 4; 6, 1; cf. Bech. p. 29, Burg p. 25); atque Caesar, nimirum ne idem repetens fatigaret, 5, 36 ab eodem verbo (impetrare) § 2 'quod ad militum salutem pertineat' suspendit, § 3 'de m. salute'.

[55]) F. 10, 25, 3 omnia metiri dignitate, Att. 8, 12, 5 officio, F. 7, 12, 2 voluptate sua, leg. 1, 49 virtutem praemio; idem praepositionem adhibuit in neutro pronominali Parad. 44 ex eo.

[56]) Hic abl. aeque ac pretii, qui tamen nusquam apud Plancum occurrit, rectius fortasse respectus intellegitur, quam, quod vulgo fit, instrumenti, cf. Schmalz Gr. § 170 sq., Erläut. p. 38.

[57]) Quo loco quandoquidem duplex est comparatio, cum Plancus et celeritatem nuntiorum cum magnitudine amoris sui conferat et litteras ad Ciceronem datas ceteris celeritate praestare affirmet, accurate dicenti duplex adhibenda et comparationis nota magis ante maturius inserenda videtur, quo tamen adverbio quam facile veteres caruerint, documento est, quod Fr. Polle, qui Philol. 92 p. 760 sq. hac de re disseruit atque illud requisivit, variis eius modi exemplis collatis (cf. Liv. 21, 44, 3; Sall. Iug. 82, 2) unum invenit ad sententiam suam aliqua ex parte accommodatum Ovid. fast. 1, 526 minus altior.

[58]) Decipi cum ablativo causae coniunctum est 23, 1; in verbo terreri Deecke § 312 'metu absterritus' ablativum ambiguum esse docet, cf. timore (abl. causae) perterritus adn. 33) et 'metu (abl. instr.) territare' Caes. G. 5, 6, 5.

nomen alias instrumenti loco habetur, alias, si inest vis agendi, praepositionem requirit.[59]) Ita, quod Cicero ab ipso Lepido fieri dixit (10, 20, 2; 11, 14, 3 non recipi Antonium) Plancus de eius exercitu dicere potuit 11, 2 *ab exercitu Lepidi recipi*, quamvis saepe copiae pro imperatoris instrumento habeantur, cf. 15, 3 *equitatu meo persequi*. Quod maxime frequentatur verbum instruendi, apud Plancum legitur 7, 2 *non mediocri dolore afficiebar*.[60])

Obiecti etiam loco a nonnullis verbis abl. instrumenti asciscitur, cf. 23, 6 *omnibus facultatibus uti*, 15, 1 *obsequio meo abuti*, 24, 1 *tam vili munere defungor orationis*.[61]) Cuius constructionis impersonale opus est plerumque fit particeps,[62]) neque tamen personalis usus ullam habet offensionem 8, 3 *aliquantum nobis temporis et magni labores* (codd. laboris[63]) *et multae impensae opus fuerunt*, cum ipse Cicero plura exhibeat exempla.[64])

Plancus eleganter distinxit 15, 1 *assiduis internuntiis cum Lepido egi*, § 2 *per Laterensem internuntium fidem mihi dedit*. Nam priore loco, cum non interesset, quo interprete uteretur, sed qua ratione cum Lepido ageret, recte cunctos ablativo comprehendit,[65]) paulo post, cum certum internuntium nominaret, quem quanti faceret, pluribus locis professus est (cf. 18, 2; 21, 3; 23, 4) praepositio aptior erat. Simili ratione attributo addito ablativum litteris posuit, omisso praepositionem per adhibuit: 18, 2 *binis continuis litteris rogare*, 21, 2 *petere per litteras*.[66]) Eandem praepositionem[67]) cum pronomine personali a Planco coniunctam videmus, si quaeritur, quousque alicuius facultas pertineat: 11, 2 *facile mi videor per me sustinere posse*, 21, 2 (de Lepido) *se posse per se conficere negotium*.[68]) Neque tamen alio Plancus ullo loco illam perinde atque ab adhibuit,[69]) neque 21, 4 *milites improbi per se, corrupti etiam per eos*, nisi concinnitatis studio adductus esset, repetiturum eum fuisse existimo. Si vero res conficienda maioris videtur momenti vel laboris, opera alicuius

---

59) Cf. Caes. G. 3: 2, 1; 3, 2 'montes a multitudine teneri', seq. cap. 'superiora loca multitudine completa'.

60) Subornare ut verbum instruendi fert quidem casum instrumentalem, cf. Antónii verba in Cic. Phil. 13, 32: Apuleiana pecunia Brutum subornastis; Plancus tamen adverbiis positis contentus erat 24, 6 *ut vigilanter nervoseque nos subornes;* idem scriptor vincere, quod verbum ablativum instr. asciscere solet (cf. Cic. F. 3, 10, 1 vincam meis officiis cogitationes tuas, 7: 19, 1; 31, 1) cum praep. coniunxisse videtur 24, 1 omnis gratas amicitias — in tua opservantia — vincam, ad quem quidem locum Mend. varias emendandi rationes adnotat, ipse tamen 'offensionem non agnoscit', cf. Cic. F. 12, 7 extr. tu fac in augenda gloria te ipsum vincas, 3, 10, 8 extr.; de locutione 'certare ad' supra vidimus b. adn. 57).

61) Haec verba ab initio transitiva fuisse, imprimis Plautus testatur, cf. Trin. 1 'ut munus fungaris tuom', Brix ad h. l., Nep. Dat. 1, 2, Lup. Pr. 73 p. 7; Trin. 682 'abusus sum tantam rem patriam'; quae consecutio in gerundivo permansit, cf. Trin. 1131 dare aliquid utendum, Caes. G. 2, 7, 2 'spes potiundi oppidi', 3, 6, 2; Cic. rep. 1, 27 'muneris fungendi gratia', Att. 1, 1, 2. P. Langen (Arch. III p. 329—36) verbi quidem uti transitivam constructionem Plauto derogavit, eandem verbi fungi toti priscae latinitati vindicavit, uno, quo abl. occurrit, loco (Ter. Ad. 603) cum Dziatzkone correcto.

62) Prius fuisse usus est, cuius locum suo praedicativo non derelicto occupaverit opus est, docet Fr. Schöll Arch. II p. 207 sqq., cf. Plaut. Amph. 505

63) De genetivo (cuius exempla inveniuntur apud Liv. 22, 51, 3 temporis, 23, 21, 5, Prop. 3, 1, 12; Apul. Met. 9, 39 operae) cogitare vetamur plurali praedicati numero.

64) Locutio nomen habet, quo referatur, velut Cic. F. 2, 6, 4 'dux nobis etauctor opus est', quin etiam in sententia negativa Verr. 3, 196 frumentum non opus est; Gell. 17, 2, 15 ex Claudio Quadrig. 'nil sibi divitias opus esse'.

65) Simili abl. usus est Cic. ad Brut. 1, 10, 2, abl. absoluto Caes. C. 1, 20, 4.

66) Eadem est constans Ciceronis loquendi ratio: F. 2: 6, 2; 7, 4; Att. 11, 7, 2 petere per litteras; F. 3, 3, 1 petii litteris iis cet., Att. 6, 2, 7 creberrumis litteris rogare et petere.

67) Cui Graecorum περὶ respondere, non παρά, Fr. Stolz Arch. II p. 497—508 demonstravit.

68) Neutro Planci loco praep. per a locali sua primaria notione longe recedit, cum in suis uterque copiis (Plaucus 11, 2, Lepidus 21, 2) satis praesidii esse positum arbitretur.

69) Quod Metellus Celer scripsit F. 5, 1, 1 'per te oppugnatum iri', Cicero correxisse videtur F. 5, 2, 6 a me oppugnari, cf. Antib. II p. 250; Caesar quoque accurate distinxit 'certiorem fieri per exploratores' G. 1, 12, 2, ubi hoc eis mandatum erat, 'ab exploratoribus' 1, 21, 1, ubi ultro videtur nuntius allatus esse.

magis placebat praepositione illa, velut 11, 2 *legio veterana, nostra opera*[70]) *revocata* (sc. ad sanitatem).

Omnino quam late pateat instrumentalis, tum ablativo causae, tum modi appropinquans, ex his perspici potest Planci locis: 8, 3 *civitates largitionibus obligatae*, 15, 3 *coercere praesentia mei exercitus*, cf. 18, 3; *ipse maximis itineribus subsequor*, cf. 9, 3.

Abl. comitativus, si ad copias pertinet, praepositione plerumque accedente cum verbis motionis coniungitur in his epp., cf. 18, 2 *cum collega — hostibus obviam ire*, 22, 6 *veniat C. cum copiis*, 15, 3 *subsequi cum*, 15, 3 et 4 *mittere cum*, 11, 2 *secum adducere:* ibid. ter occurrit 'esse cum'.

Postremo **abl. modi,** quamquam rei vel actionis societatem quandam indicat, cuius propria est praep. cum, tamen eam, si attributo est praeditus, non requirit, interdum etiam respuit, cf. 8, 3 *cum bona voluntate — cum facultatibus accedere*, 17, 3 *singulari cum benevolentia tueri*, 8, 6 *summa contentione certare*, 21, 6 *pari felicitate remp. vindicare*, 24, 8 *duriore condicione bellum sustinere*. Hunc ablativum satis constat adverbii numero habendum esse, cf. 24, 1 *facio* (= gratias ago) *cum pudore* (= pudenter), cui tamen nonnunquam adi. substituitur, velut 8, 4 *et simulasse invitum et dissimulasse cum dolore*, cf. *dolenter facio* 24, 6.

Non alia ratione **abl.** qui vocatur **absolutus** interpretandus videtur, sive participium ad nomen accedens praedicativum ducimus sive appositivum.[71]) Utra autem participii constructio, coniuncti an absoluti, adhibeatur, ex enuntiati parte definienda diiudicatur. Quae si certum enuntiati locum obtinet (velut subiecti, obiecti, attributi), participium nomini eodem casu adnectitur, cf. 18, 2 *si quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset* 'bei seinem Eintreten für die gute Sache'; 24, 5 *hunc filii loco substitutum non proinde habere*, § 2 *aversos eos talis praestare*, 21, 5 *mihique mortuo honorem defuturum;* 4, 3 *facultas tui praesentis*, 11, 2 *de proelio facto:* sin voci illi definiendae nullus eius modi cum sententia conexus est, ablativo modi posito (vel causae vel alio quo, cf. adn. 29) participioque similive[72]) quodam nomine accedente ablativus ille absolutus exsistit, cf. 21, 4; 18, 3 *non suis contractis*,[73]) 24, 5 *vivo illo* (= vivente illo) 8, 4 *muniendi fuimus aucto exercitu auxiliisque multiplicatis*. Eiusdem denique rationis abl. pro dativo intellegi potest 24, 3 *subito impetu ac latrocinio*.[74])

f. De participiis (gerundivo, gerundio).

Participium, quia medium quendam locum inter nomen et verbum obtinet,[1]) non mirabimur et cum genetivo et cum adverbio coniunctum esse a Planco 8, 1 *optimae mentis cogitata iam pridem*, cum idem Ciceronem fecisse constet.[2])

---

70) Qua locutione adhibita etiamsi facinus quoddam magnificum significatur, nullum tamen, utrum quis bene an male meritus sit, discrimen fit, cf. Cic. Pis. 6 remp. — mea unius opera esse salvam, F. 9, 16, 3; Phil. 2, 71 civile bellum natum, conflatum, susceptum opera tua (i. e. Antonii) est, § 23 loco simillimo culpa mea, altera tamen locutione ibid. antecedente.

71) Illud cum ceteris probavit Schmalz Synt. § 104, hoc voluit Deecke Erläut. § 306.

72) Cf. Cic. 5, 3 fortuna suffragante, 3, 2 comite fortuna.

73) Haec verba Manutius explicat 'aliena culpa; ex iis, quae ipse non contraxerit; nam contrahere interdum est committere'. Sed ut commissa substantivi locum occupaverit, cf. Cic. Sulla 26, item admissa Tac. ann. 11, 4, hist. 4, 44; contracta hoc sensu vix ullo loco inveniri puto. Quare rectius mihi sententiam Lambinus expedit scribens: 'non [dum copiis] suis contractis'. Etenim Plancus admodum sollicitatus erat, quod Lepidi copiis infirmis, Bruti nondum adiunctis (cf. § 2) cum hoste confligere constituerat.

74) Ita censet Schmalz, Berl. philol. Woch. 1889 p. 1632 (cf. Mend.).

1) Haec est causa, cur participio perf. modo adiectivum modo adv. tribuatur, cf. 16, 2 (Cic. ep.) 'factum aliquod a te egregium', paucis versibus post 'fideliter — sapienter factum', Lael. § 1.

2) Ita Cicero scripsit e. gr. Lael. § 6; idem part. perf., e quo pronomen pers. praepositione *ab* suspensum est, superlativo augere non est veritus F. 12, 26, 2 'habeas eos a me commendatissimos', cf. Thielm. Arch. II p. 513. Tres reliquos locos, quibus Cic. in epp. huius voc. summum gradum adhibuit, dativo tamen pronominis adiuncto, Th. Vogel (Symb. Misen. 67 p. 10) enotavit: F. 2, 8, 3; 13: 10, 2; 64, 1.

Altera participii ambiguitas in genere verbi posita est similisque adiectivi inde orti, sive passiva est notio, sive activa. Adi. 'ignotus' e. gr., utraque ab initio indutum notione, quamquam in optimorum scriptorum sermone plerumque deposita activa passivam retinet, quod convenit cum Planci usu 4, 3 *non est ignotus mihi sensus tuus,* tamen Cicero ipse, dux illorum atque magister, identidem activa instruit sententia.[3])

Rursus part. 'expertus' apud Ciceronem quidem nullo loco in passivae notionis partem venit;[4]) at Plancus, qui ex optimo dicendi usu 7, 2 extr. praemisso acc. c. inf. scripsit *exploratum mihi est,*[5]) illi part. passivam notionem tribuere ausus est 4, 3 *nimium saepe expertum habemus*[6]) praemissa sententia interrogativa.[7])

Cum participio fut. pass., quod **gerundivi** nomine insignitum est, Plancus praepositionem 'in' coniunxit, ut rem non solum cogitandam significaret, quod fit genetivo, sed etiam efficiendam, cf. J. Frey ad 4, 1. Tres enim, qui illic sequuntur, genetivos explicativos haud obstitisse, quominus ad voc. *causa* obiectivus quoque gerundivi gen. adderetur, Cicero docet, qui Phil. 1, 28 utrinsque huic nomini generis casum adnectere non est veritus.[8]) Similis est constructio 4, 2 *in quo colendo — constituerim sanctitatem.*[9])

Praep. 'in' igitur actionem plerumque spectat, quae iam in eo est, ut efficiatur; efficiendae 'ad' videtur aptior. Quare, ut verba expediendi et impediendi[10]) ex optimorum scriptorum usu praepositionem 'ad' asciscunt, ita illius notionis substantiva cum eadem coniuncta videmus 8, 2 *ad proficiendum impedimenta — occasiones ad opitulandum.*[11])

---

[3]) Velut F. 5, 12, 7 simulacra ignotis nota faciebant; Verr. 1, 19; 5, 75, quo utroque loco ignotis i. e. ignaris noti i. e. qui noverunt opponuntur, cf. Antib. s. v. ignotus, notus.

[4]) Nam Cic. Balb. 16 eius modi part., cum coniectura in textum receptum sit, non esse sustinendum memorat Schmalz, Antib. I 502.

[5]) Huius part. gradus superlativus legitur Cic. Quir. 15, comparativus ad Brut. 1, 17, 1 (cf. Schirmer Pr. p. 12). Cicero, quod ex proportione locutionis 'cognitum habere' (cf. Fam. 10, 12, 1) videtur sibi conformasse 'exploratum habere', adhibuit infinitivo sequente F. 4, 1, 2; 11, 6, 1; Ciceronis auctoritatem aequales secuti sunt, ut Balb. ad Att. 9, 7 B 2, D. Brutus F. 11, 10 § 1 et 5, cf. Arch. II p. 529 sq.

[6]) Polio quoque (cf. Wölffl. b. Afr. p. 140, 11) passivam huic part. vim subiecit atque hanc locutionem rerum scriptoribus adeo commendavit, ut virtus 'experta' legatur apud Livium, Velleium, Tacitum; cf. praeterea Liv. 1, 17, 3 libertatis dulcedine nondum experta. Hanc participii ambiguitatem vulgaris potissimum sermonis propriam fuisse docet Rebling, Charakt. ed. alt. p. 37.

[7]) Eius modi sententiam praemisit Cic. F. 10, 12, 1 'nec quoad progredi velles, exploratum satis habebat', postposuit Acad. 2, 85 quid habes explorati, cur non possit —?

[8]) Idem, ut rem consuetam significaret, praepositione *in* cum gerundivo usus est Mil. 52 'consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda', cf. Font. 21 'c. immanis ac barbara hominum immolandorum'. Ut priore loco in adiectivo, cur praep. apta videatur, causa est posita, ita in verbo F. 5, 9 (Vatin.) 'si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas', F. 10, 35, 1 (Lep.) 'exercitus c. suam in civibus conservandis retinuit'.

[9]) Eiusdem verbi gerundivum pendet ex adi. 'studiosus' (cf. Antib. s. v.) in Ciceronis ep. 5, 19, 1; similis est sententia 2, 6, 5.

[10]) Cf. Cic. F. 3, 9, 2 liberare ad facultatem aedificandi, Sull. 49 impediri ad pericula propulsanda; Caes. C. 3, 39, 6 morari ad spem, item 'tardare G. 7, 26, 2 ad insequendum' (b. Hisp. 39, 1 ad fugiendum); 'impedire (i) 7, 26, 3 ad capiendam fugam, C. 1, 62, 2 ad transeundum' (Hisp. 30, 5 ad committendum proelium, Liv. 40, 33, 6 ad capessendam fugam, Draeg. II p. 855).

[11]) Cf. Cic. ad Att. 6, 2, 4 facultatem ad se liberandas — dedi; Antib. I 77 praeter 'argumentum ad scribendum', Att. 9, 7, 7, duo ex Ciceronis Fonteiana similes loci notantur: § 6 facultas, § 30 voluntas ad; adde Caecin. § 6 'moram ad condemnandum acquirere'; multa eius modi Caesar praebet: G. 1, 38, 4 magnam ad ducendum bellum dare facultatem, 7, 10, 1 moram ad insequendum inferre, G. 1, 25, 3; 2, 25, 1 ad pugnam esse impedimento; 'mora atque impedimentum' cum genetivo gerundivi coniuncta sunt a Livio 23, 9, 11, qui alias, ut Iustinus, omni scilicet efficiendae actionis et cogitatae discrimine sublato, variandi causa utramque constructionem adhibuit, cf. Draeg. II p. 853, 855.

In sermone vulgari pro genetivo gerundii libenter 'ad' c. acc. substitui; cum Terentii,[12]) tum Vitruvii[13]) exemplis demonstratur; quin ipse Cicero similia quaedam praebet.[14])

Accedimus ad locum difficillimum 23, 3 extr., ubi pro verbis in Mediceo traditis *ut spatium et colligendum se* plerique editores posuerunt 'ut spatium ad colligendum se h. haberent', in iis Mendelssohn.[15]) Quo loco, cum variae sint scribendi rationes, quae recta sit, haud facile diiudicaveris.

Potuit quidem Plancus scribere 'sui colligendi', quod Caesar saepius fecit,[16]) qua constructione Ciceronem sola usum esse C. F. W. Müller[17]) probare studet, nisi forte praep. est adhibita. Nihilominus idem vir doctissimus, quem non fugerit, quanto opere post Ciceronis aetatem gerundivo reiecto gerundium increbuerit,[18]) in Planci epistula Medicei auctoritatem impugnare gravatur.

Deinde Plancus scribere potuit 'ad se colligendos',[19]) quibus verbis coniectura inventum illud 'ad colligendum se' ex 'sui colligendi' proportione subditum ad numerum plur. posse referri, homo ille doctus (Philol. IX p. 602) vix cuiquam probaverit.[20]) Nam in genetivo, qui sit pron. possessivi, non modo numeri, sed ne generis quidem ratio habeatur oportet,[21]) accusativi simile exemplum deest.

His duabus gerundivi alterae duae **gerundii** respondent rationes. Nam, ut Pollio F. 10, 33, 5 *spatium confirmandi sese,* ita Plancus gerundii genetivum cum pronominis accusativo coniungere potuit, quod cum in nomine tum in pron. personali iam Plautus[22]) fecit et Terentius.[23])

Quarta restat loquendi ratio 'ad colligendum se', quam, cum codicum auctoritate quam maxime nitatur (cf. Mend. ad l.), Planco, cuius elocutio tam prope ad sermonem vulgarem accedit, denegare ausus non sim, quod is saepius praepositionem genetivo praetulit neque satis apparet, quo iure in accusativo gerundii a praepositione suspenso et obiectum asciscente offendamus, in ablativo eisdem condicionibus posito non item,[24]) praesertim cum stilus epistularis liberiorem dicendi rationem concedat, neque plane nos, qua nitamur, ansa deficiat; unum enim in Varronis libris exstat accusativi exemplum l. L. 9, 42 'ad discernendum vocis figuras'.[25])

---

[12]) Cf. Andr. 150 'satis vemens causa ad obiurgandum', in eadem fabula minus habet offensionis v. 138 'nec satis ad obiurgandum causae, cf. Heaut. 1044, E. Krause, de gerundii — usu, diss. Hal. 75 p. 26.

[13]) Vitruv. 145, 20 R. 133, 6 'ad pecuniam parandam dedi studium' (Praun, Pr. 85 p. 64) cf. cum Caes. C. 2, 41, 3.

[14]) Cf. Draeg. II p. 852: Cic. leg. Man. 4 'occasio ad occupandam Asiam', Verr. 5, 89 'ad resistendum ratio'.

[15]) Wesenb. praetulit 'colligendi se', cf. em. alt. p. 35.

[16]) G. 3, 6, 1; 5, 17, 4; 7, 80, 8.

[17]) Qui (Philol. XVII p. 105) omnino obiecti, praecipue tamen pronominis accusativi ad genetivum gerundii accedentis exempla perrara docet esse prae gerundivi constructionum multitudine, nam ut nomen subst. subiecti loco quingenties octogies septies, obiecti loco quatter et vicies inveniri dicit p. 109, ita pronominis pers. triginta sex genetivi exemplis haec quattuor accusativi opposita sunt: Tusc. 1, 43, Phil. 9, 6, de or. 2, 16, Sest. 136, quorum primo et ultimo loco pron. delere, mediis genetivum reponere voluit. In hoc tamen nequaquam sibi constitit, quod, ubi pron. facillime potuit deleri (Tusc. 1, 43: finem altius se eeferendi) in sua ipse editione accusativum modo deletum restituit, cf. Reisig 595 b).

[18]) Cf. quae l. l. p. 110 de Vellei et Curtii usu loquendi affert.

[19]) Ita Caesar scripsit G. 3, 19, 1, cf. 4, 13, 4; Cic. de uno homine Caecin. 6 'spatium ad sese colligendum dedisse'.

[20]) Cf. Krause p. 41.

[21]) Velut Plautus de femina scripsit Truc. 2, 3, 19 'tui videndi copia', similiter Ter. Hec. 372 ego eius videndi cupidus.

[22]) Aulul. 809 'spatium ei dabo exquirendi meum factum', Men. 687 'te defrudandi causa', cf. Krause p. 27.

[23]) Phorm. 700 spatium apparandi nuptias, Hec. 91 abeundi a milite vosque hic videndi. Terentium altero loco, item Plautum Curc. 706 'dicundi, non rem perdundi gratia haec natast mihi lingua', Caesarem denique G. 4, 14, 2 'neque consilii habendi neque arma capiendi spatio dato' in altero membro concinnitati satisfecisse videmus verbi exitu, nominis casu Ciceronem Cat. 1, 7 'non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa'.

[24]) Cf. Varro l. L. 5, 104 fructus a fruendo res, r. r. 3, 9, 12 in supponendo ova; Cic. Tusc. 3, 20 a nimis intuendo fortunam, off. 1, 14 'in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique', quam tamen locutionem in proverbii usum abisse docemur locis simillimis: Brut. 85 'in s. c. tr.' leg. 1, 19 'a suum c. tribuendo'.

[25]) Hunc locum Krause p. 41, ubi tota haec quaestio diligentissime est tractata, Madvigii verbis, qui op. I p. 380 gerundii accusativo, qui pendet ex praepositione, obiectivam constructionem plane abrogavit, iure mihi videtur opposuisse.

g. De infinitivis.

Infinitivum similiter atque participium propius ad nomen accedere cum ex aliis rebus[1]) tum ex gerundio, quo illius usus in posteriore latinitate paulatim deminutus est,[2]) itemque gerundivo substituto potest cognosci. Nam ut supra[3]) participium praedicativum infinitivi loco positum vidimus, ita neutrum gerundivi idoneum visum est, quod ad declinandum infinitivum adhiberetur.[4]) Qui quidem in ipso infinitivo lateat casus, etiamsi inter homines doctos vix iam videtur constare,[5]) quae tamen verba eius modi supplemento augeantur, minime est dubium, *Velle* enim et *posse* quaeque utriusque analogiam secuta sunt verba,[6]) quamquam sui quoque iuris esse possunt, plerumque tamen in usum auxiliarem abierunt, e. gr. 7, 2 *non minus posse te quam velle exploratum mihi est* pro multis cf. cum his duobus locis: 8, 6 *conficere possunt,* 18, 3 *periclitari volui;* quae ratio latius patet,[7]) cf. 24, 6 *quod sperant, quod audent,* quo loco *quod* coniunctio intellegenda est. Similiter in dubitandi verbo apud Plancum attenuatam deprehendimus notionem collatis inter se: 4, 2 *si dubitarem* i. e. in dubio essem,[8]) 18, 2 *non dubitandum putari, quin succurrerem,* 21, 7 *istoc recurrere non dubitavit.* Huius verbi constructionem[9]) Plancus in negato verbo recusandi praeter 8, 6 secutus est 17, 2: *ad omnia pericula princeps esse non recusabat.*[10])

Accusativus vero cum infinitivo, qui vocatur, ita videtur exstitisse, ut nonnulla verba praeter obiecti accusativum asciscerent infinitivum, cf. 7, 2 *cum coegi proficisci,* 23, 1 *pudor me coegit subire.* Eadem fere ratio est 21, 5 *nec tanta munera — dari posse sinam,*[11]) 9, 3 *et temporis et rei te moderatorem facile patior esse,* cf. 8, 2 *sordidum quidquam pati* et 4, 2.[12])

---

[1]) Wölfflin, Arch. III p. 70 sqq. de infinitivo exponens docet Ciceronem philosophum Graecorum exemplum secutum infinitivum uno loco (fin. 2, 43 inter optime valere et gravissime aegrotare) ex praepositione suspendisse, pluribus cum pronomine coniunxisse, cf. F. 15, 15, 2. De Ciceronis locutione 'habeo dicere' (Rosc. Am. § 100 quid habes dicere? § 104 ecquid habes quod dicas?) 'scribere' Att. 2, 22, 6, 'polliceri' F. 1, 5a, 3 cf. Thielm. Arch. II p. 50 sqq.; postea inde a Seneca rhetore occurrit 'h. dicendum', cf. Synt. § 27. Anm. 1; Antib. I p. 568: Kl. 'habere aliquid scribere', N. Kl. 'scribendum', N. L. 'ad scribendum'.

[2]) Schmalz Synt. § 222 adn., ubi tamen Lent. pro Lucc. scribendum, inter se confert F. 12, 14, 7 'neque defatigabor permanere' cum Apul. Flor. 7 fatigaberis admirando'; ex verbo simillimo comici infinitivum suspenderunt, cf. Plaut. Merc. 818 defessus sum urbem pervenarier, cf. Brix ad Trin. 76, Ter. Phorm. 589 neque defetiscar experirier, Cicero gerundivum F. 10, 19, 2 'in re p. conservanda defatigatus; similiter Rebl. Char. 21 exemplis allatis (b. Hisp. C. 36, Hygin. fab. 193, 200) gerundii ablativum cum part. praes. act. aequari ostendit; cf. Nep. 25, 21, 6 ne frustra dehortando conemini, Cael. F. 8, 16, 4 'tu non dicendo significasti'.

[3]) Cf. d. 17.

[4]) Cf. Deecke Pr. 90 p. 43.

[5]) Schmalz videlicet Synt. § 218 in iis est, qui dativum infinitivo inesse arbitrantur, paucis quibusdam locis nixus, ut Gell. 7, 9, 5, Cic. Tusc. 1, 65; contra Deecke (Progr. Mülh. 90) omnium fere infinitivi generum copia adhibita locativum inesse probavit.

[6]) Quae verba quo pondere esse possint, intellegitur adi. neutro aut adverbio infinitivi loco posito, cf. Cic. Tusc. 3, 30 multum posse, 5, 12 satis p.; Caes. G. 6, 35, 2 quantum p., 1, 18, 6 largiter.

[7]) Cf. Caes. G. 4, 16, 1 'et posse et audere Rhenum transire', Cic. F. 7, 3, 3 'si te victori nolles aut non auderes committere'. De bipartita verborum dispositione cf. Synt. § 222.

[8]) Similiter Cic. Rosc. Am. 88 'Restat, ut dubitemus, uter occiderit'.

[9]) Cf. Cic. F. 12, 29, 1 'nullum periculum adire dubitavit'; pro verbo adverbium posuit Polio F. 10, 31, 2 extr. 'pericula non dubitanter adii'.

[10]) Cicero, ubi ad infinitivum descendit: Phil. 8, 25 'privatus esse non recuso', Antonii verba recitat; Caesar uno loco ambitu verborum praemisso itaque hoc verbo negato G. 3, 22, 3 infinitivum adhibuit, cf. Antib. s. v. II, 441.

[11]) 'Sinere' cum coniunctivo imprimis comicorum est, sive addita coniunctione 'ut', cf. Ter. Andr. 1, 2, 17, sive omissa, cf. Plaut. Poen. 1, 2, 163, Ter. Andr. 5, 3, 30 'sine te exorem'; optimorum, nisi absolutus est verbi usus, e. gr. Cic. Cat. 10 extr., inf. est c. acc., cf. Caes. G. 4, 2, 6; quare Antib. s. v. memoratur recte scripsisse Plinium 9, 21, 3 'sine te exorari'.

[12]) Hoc verbum, cuius principalis notio ad sustinendi verbum, cum quo commutatur Phil. 12, 9 'Gallia aequo animo belli patitur iniurias', quam proxime accedit, cf. Antib. s. v., ut cum nominis vel pronominis accusativo coniunctum est,

Amplissimus huius constructionis campus est in verbis 'sentiendi et declarandi':[13]) 11, 2 *animadverti — Antonium habere;* 'videre' occurrit cum infinitivo et praes. et perf. 24, 4, inf. pass. 18, 2 *hoc assignatum iri,* 23, 4 part. pro inf.; duplex inf. ex verbo videndi pendet 21, 5 *hoc me venire summae dementiae esse vidi,* ea ratione, ut, qui subiecti loco positus est, praeditus sit accusativo pronominis pers.; eandem consecutionem deprehendimus in verbo putandi 15, 1 *scire te ad remp. putari pertinere;* quod verbum praeterea cum inf. act. occurrit 11, 1; 21, 2 (ibid. 'existimare'); cum part. fut. pass. 15, 2; 21, 3; 'scire' 24, 2. 5; cum part. 'defuturum' 15, 4; praeterea legimus 7, 2 *ut nos fuisse et sentiant — et memoria teneant,* 24, 7 *nunquam obliviscar me — debere.* In alterius generis verbis ex affirmandi infinitivo alter inf. c. acc. suspensus est 24, 4 *se venire,* 11, 1 *relaturum me;* non deest 'vetare' cum sua constructione, cf. 23, 5; neque 'iubere': 7, 1; identidem adhibetur 'persuadere' 4, 2. 3; 24, 8; semel 'conclamare' 21, 4;[14]) occurrit negatum 'diffiteri' 8, 4; legitur 21, 1 *scripsi — confidere me*[15]) *bono L. esse usurum.*

Verbum 'spero' Plancus, ne accusativi cumularentur, sententiae interiecit 15, 1 et 18, 4 'ut spero', cf. Cic. ep. 19, 2; praefecit 11, 2 *me praestaturum,* 24, 3 *consilium — vobis probari,*[16]) 9, 1 *in dies — fieri accessiones pervidere te spero, cogniturum magis recipio.*[17])

Ita ad verba promittendi traducimur, quae, praeterquam quod adverbio definiri possunt, aut nominis, quo res promissa indicatur, accusativum asciscunt, aut infinitivum, quo recipientis actio significatur: 11, 3 *omnia ei opsequia polliceor,* 9, 1 *nihil ceteris de me frustra recepisse,*[18]) 21, 1 *omnia ei et petenti recepi et ultro pollicitus sum;*[19]) 24, 6 *professus est se venire,*[20]) 11, 3 *hoc tibi spondeo neque — defuturum,* 15, 2 *fidem mihi dedit se — bello persecuturum.*[21])

---

cf. Cic. l. l. et Planc. F. 10, 4, 2 *quod mea tuaque patitur aetas,* accedente infinitivo Cic. Cat. 1, 14 'quod ego praetermitto et facile patior sileri': ita cum acc. c. inf. praemisso Cic. F. 5, 7, 2 'apud me plus officii residere facillime patior', sequente 12, 18, 1 'periniquo patiebar animo te a me digredi'.

[13]) In his verbis localis infinitivi notio, quam Deecke programmate a. 90 edito probasse videtur, quam maxime apparet, cf. l. l. p. 35.

[14]) Quod verbum eandem constructionem asciscit in Cic. Phil. 6, 2; similes sunt Caesaris loci G. 3, 18, 5; 7, 66, 7; C. 1, 7, 6, quorum omnium id commune est, quod sententiae initium a verbo ducitur, subiecto postposito.

[15]) Hoc l. pronomen pers. inter duos infinitivos interpositum ad utrumque referendum videtur; idem deest in Mediceo Cic. F. 4, 13, 6 'putabo ad id pervenire posse', facile potest suppleri, cum praecedat, Tusc. 1, 60 'nec me pudet fateri nescire'.

[16]) Quam facile speranti res sperata ex futura praesens vel etiam perfecta fiat, perspici potest ex Lentuli ep. F. 12, 14, ubi § 4 extr. de eadem persona infinitivus fut., paucis versibus post inf. perf. positus est: 'spero celeriter eum poenas daturum' (cf. eiusdem epistulam seq. extr. 'opinione celerius confido — latronem p. d.') — spero confectum esse iam et oppressum Dolabellam. Hoc factum esse per futurum exact. probatur Caelii locis: 8, 16, 5 'dum haec decernuntur, quae iam erunt confecta', cf. § 3; 17, 2 vincere coegero. Cf. Synt. § 226, Anm. 4.

[17]) Similis sententiae concinnitas reperitur in Cic. ep. F. 5, 16, 6 'quem me tibi et fuisse semper existimes velim et futurum esse confidas', altero etiam verbo parum huic constructioni accommodato 10, 20, 3 'quem (confectorem) te et opto esse et confido futurum', 1, 7, 11 'spero et opto — fore, cf. Synt. § 227.

[18]) Quae plena est locutio 'recipere in se' (cf. Hofm. II p. 103 ad F. 11, 1, 4) maiore vi ceteris promittendi verbis instructa non multum a spondendi praestandique notione abest, cf. Cic. F. 13, 17, 3 spondeo in meque recipio, F. 5, 8, 5 promitto ac recipio, Att. 13, 1, 2 polliceris vel potius recipis, Phil. denique 5, 51, qui locus memorabili verborum cumulo insignis est: Promitto, recipio, spondeo C. Caesarem — fore.

[19]) Cf. Cic. F. 16, 5, 1 omnia polliceri, Phil. 2, 89 o. promittere; F. 6, 5, 1 'polliceor' obiecti loco 'studium meum' asciscit et alia nomina, 5, 8, 4 'profiteor atque polliceor eximium et singulare meum studium'.

[20]) Verbo 'profiteri' id cum promittendi verbis commune est, quod infinitivum futuri plerumque asciscit (cf. Caes. C. 3, 19, 3 'se venturum') infinitivo praes. tamen concesso, cf. Caes. 4, 21, 5; Antib. II 290 locutionem 'dare polliceor' sermonis cotidiani fuisse admonemur, quem inf. praes. Plancus eadem ep. 24, ut a verbo pollicendi § 6, ita ab affirmandi § 4 suspendit; neque omnino praeter nomina obiecti et praedicati infinitivo opus est cf. Caes. 7, 37, 6 'cum se vel principes fore profiterentur', Cic. F. 12, 24, 2 'me principem senatui professus sum'.

[21]) Quin solum nomen 'fides' similem habet consecutionem Liv. 6, 13, 7, cf. Draeg. II p. 427.

Eadem fere ratione ad verba constituendi nomen rei constitutae in accusativo obiecti accedit, cf. 4, 2 *in quo colendo patriam constituerim sanctitatem* (i. e. quem sanctitate patri debita colendum constituerim). Res illa si efficienda proponitur, participio fut.[22]) opus est aut infinitivo,[23]) cf. 17, 1 *exspectare constituit;* 21, 2 *ire decreram.*

Velle cum solo inf. occurrit 18, 3; 8, 1; 7, 1; accedit acc. pronominis rel. 24: 1. 2; 21, 7; pron. pers. 11, 1: *me, si, quem*[24]) *esse voluisti, cum cognoscis, defende ac suscipe;* praeterea *velle* acc. c. inf. recipit 8: 2. 6; 9: 1. 2; *cupio* 11, 3, *malo* 24, 1.[25]) Quod verbum apud Plancum semel occurrit, at *velle* cum nomine comparativo ter: 8, 2 *expeditius* 9, 1 *quo maturius* 18, 3 *potius;* totidem *velle* negatione antecedente: 9, 2; 8, 1; 7, 1, nusquam *nolle.*

Activa in genus passivum mutata constructione obiectoque in subiecti casu posito nominativus c. inf. exsistit, quam ad rem concinnitatis studium videmus multum pertinuisse: 23, 4 *et adhuc vivit et dicitur victurus;* 15, 2 *et Antonius — dicebatur et Lepidus — habebat.*[26])

Haec constructio latius patet in verbo *videri,*[27]) quod, cum initio passivum esset,[28]) infinitivo accedente sensim factum est intransitivum, ut in Planci ep. 7, 2 *cum alii occupare viderentur,* 24, 7 *videntur proficere posse,* 4, 2; 9, 3; 8 § 1 exeunte *non videri volo redemisse,* ineunte *si cui forte videor tenuisse;* idem verbum postremo etiam 'opinandi' notionem accepit,[29]) sive addito pron. pers., sive omisso: 11, 1 *tantis officiis non videor mi respondere posse,* § 2 *facile mi videor sustinere posse;* 4, 1 *nullum officium videor posse praeterire,* 17, 3 *amicum eum rei p. cognosse videor.* Ex personali verbi intransitivi usu verbum impersonale fluxit,[30]) quod significanter est dictum ('es scheint gut)'.[31])

Ita ad impersonalia, quae vocantur, pervenimus, quibuscum inf. vel acc. c. inf. subiecti loco coniungitur; quorum haec apud Plancum exempla suppeditant: 21, 1 *non licuit diutius bene sperare,* 23, 7 *mihi liceat praesenti*[32]) *pietate — beneficia tibi facere iucundiora,* 24, 5 *tueri eum et diligere fuit mihi necesse,* 23, 1 *nunquam me paenitebit — subire,* 21, 7 *concupiscere me nihil oportet,* 8, 1 *non me praeteribat fructuosissimam esse professionem,* § 4 *ut sciri non esset periculosum,* 7, 2 *non minus posse quam velle exploratum mihi est,* 8, 5 *ex quo intellegi potest curam excubare,* 21, 5 *hoc me venire et obicere — summae dementiae et temeritatis esse vidi,*[33]) 15, 1 *scire te ad rem p. putavi pertinere* (cf. Andresen ad l. Hofm. II p. 176); postremo 18, 2 *cautius illud erat consilium exspectare me.*

---

[22]) Cf. e. gr. Caes. G. 7, 36, 1 agendum constituit, 7, 54, 2 eos retinendos non constituit.

[23]) Futuri quoque infinitivi exempla exstant, velut Cic. ad Att. 1, 7 constitui me curaturum, cf. Draeg. II 407 sq.; Caesar constanter infinitivum praes. adhibet nullo addito pronomine, sive capiendum videtur consilium, cf. G. 4, 19, 3. 4; C. 1, 27, 2, sive pronuntiandum, ut G. 4, 6, 5; idem non dubitavit subiecti loco infinitivum c. acc. adicere 2, 10, 4.

[24]) Hoc loco cur *me* inter verba 'quem esse' Kleyn obs. p. 10 adderet, nihil fuit causae, quoniam paulo antecedit.

[25]) Quod verbum cum apud Vitruvium nusquam, 'nolle' bis legatur, Praun l. l. p. 14 adn., num haec verba Octaviani aetate in sermone vulgari etiamtum viguerint, iure videtur addubitare.

[26]) Polio infinitivum c. acc. praetulit inter alias eiusdem modi constructiones F. 10, 33, 4: 'Antonium habere equitum V M', quem numerum a cod. Mediceo omissum recte puto ex antecedentis vocabuli exitu additum esse a Manutio.

[27]) Cf. Antib. II 672.

[28]) Cf. Caes. C. 1, 41, 4 'procul videri', G. 2, 18, 3; 4, 28, 2; Plaut. Most. 833; Thielm. p. 30.

[29]) Qui transitus qua ratione factus sit, cognosci potest ex Caelii ep. 8, 3 § 1, ubi hoc verbum intr., quod constat in nostra ipsorum opinione, supplendum est ex altera sententiae parte, quae pertinet ad rei alienae speciem atque opinionem.

[30]) Cf. Caes. G. 6, 20, 3 quae visa sunt, occultant, 2, 20, 4; 4, 8, 1 'quae visum est, respondit', supplendo inf. in sententia rel., cf. 5, 58, 3, addito in primaria b. Afr. 25, 1; G. 3, 36, 3' si videatur', Schmalz Z. f. G.-W. 1881 p. 113.

[31]) Qua gravi notione praeditum hoc impersonale infinitivum c. acc. asciscit, cf. Cic. Tusc. 5, 12; Sall. Ing. 85, 2.

[32]) Voc. 'praesenti' ad pronomen pers. praecedens 'mihi' referre malim quam ad sequentem ablativum 'pietate', cf. constructionem simillimam 24, 1 *malo praesens observantia — memorem me tibi probare.*

[33]) Cf. Cael. F. 8, 16, 2 'nunc te contra victorem Caesarem facere summae stultitiae est'.

Postremo loco si Heraeum[34]) sequeremur, coniunctionem 'ut' exspectaremus. Cui viro doctissimo etiamsi antecedente substantivo, quod affinitate quadam cum verbis sentiendi coniunctum est, dumne pronomen determinativum additum pondere suo careat,[35]) coniunctionem 'ut', quo referatur, habere concedimus, nostro tamen loco summa illa ratio spectanda videtur, ut, si res facienda proponitur, coniunctione, sin cogitanda, infinitivo opus sit;[36]) quo si quis post faciendi verbum usus est, eum ad vulgarem sermonem accedere statuerim.[37]) Plancus quidem, cum 18, 2, quod cautius fuerit consilium, infinitivo explicat, § 3 opponens, quid ipse facturus sit, plane illi normae obtemperat.

h. De modis.

Infinitivus solam verbi actionem describit,[1]) quae si ad certam personam refertur, verbo finito opus est. Verbi autem finiti iam in primaria sententia tres loquendi modi inveniuntur, et indicativus quidem adhibetur, si quis e rerum condicione aliquid pronuntiat vel rogat; iubentis atque hortantis est imperativus; coniunctivus denique cogitantis, quid fieri possit, et deliberantis, quid sit faciendum, nec non cupientis, quia optativus cum coniunctivo coaluit,[2]) cf. ex Planci epistulis 21, 2 *indicabo temerarium meum consilium tibi,* 23, 1 *quid ergo est;* 11, 1 *tuum munus tuere et me defende et suscipe;* 24 1 *non facile dixerim,*[3]) 23, 6 *cur non omnibus facultatibus utamur,*[4]) 9, 2 *ita res p. me adiuvante liberetur,*[5]) 23, 6 *veniat Caesar — aut exercitus mittatur.*[6])

Et indicativi quidem usus in lingua Latina aliqua ex parte latius patet quam in nostra. Nam licet in utraque, quod ad veram rerum condicionem refertur, hoc dicendi modo indicetur,[7]) media tamen quaedam regio est, inter affirmativam posita atque negativam sententiam, in qua, cum in nostra lingua coniunctivus ut modus apodosis irrealis praeferatur, in Latina plerumque indicativus

---

[34]) Qui ad Tac. hist. 3, 41 fin. coniunctione opus esse adnotabat aliquo attributo ad subst. 'consilium' adiecto, cf. Cic. Rosc. Am. 28, Verr. 1, 140, Antib. I 303, infinitivum vero praeferri nullo attributo accedente, cf. Cic. ad Att. 5, 5, 1, Sall. Cat. 4, 1, Liv. 21, 63, 2, Tac. ann. 1, 1, Reisig III p. 430 sq.; neque tamen omnia ad hanc normam possunt dirigi exempla, cf. Sall. Iug. 85, 8 'uti deseram non est consilium', Ter. Phorm. 5, 8, 40, Cic. ad Att. 7, 10 'consilium cepi, ut exirem'.

[35]) Cf. D. Brut. 11, 10, 4 consilia haec sint necesse est: — ut, Cic. leg. 3, 33 ego in ista sum sententia, nihil ut fuerit melius, Tusc. 5, 119 quorum ea sententia est, ut valeat, F. 15, 15, 2 meam coniecturam hanc fuisse ut —.

[36]) Cf. Cic. F. 4, 4, 5 'adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus'; F. 10, 20, 3 'mea quidem — haec sententia' est: qui — oppresserit, eum — confectorem fore. Quam posteriorem sententiam pluribus decimi libri locis repetitam (13, 2; 14, 1; 19, 2) postremo ep. 20. Cicero ideo obliquae fecit orationis, ut suam ipse mentem significaret.

[37]) Landgraf Blätt. p. 327 'facere ut' sermoni cotidiano, vulgari 'facere cum inf.' adiudicat; qui ut Planci 17, 3 contulit cum Cornif. 3, 38, addere potuit Cic. ad Att. 11, 23, 2 'feci, ut darem'; ita cum Sulpicii 4, 12, 1 comparaverim Cic. ad Q. fr. 1, 3, 6; cf. Deecke Argent. 73 p. 9, Thielm. Arch. III p. 181.

[1]) De hoc, qui historicus vocari solet, infinitivo cf. Deecke § 343 adn. 1.

[2]) Cf. Synt. § 30.

[3]) Potentialem huius coniunctivi notionem ex optativa ducendam esse Cramer (de perf. coniunctivi usu potentiali Marb. 86) p. 55 coniecit locis inter se collatis huius modi: Cic. F. 7, 17, 1 'pace tua dixerim', nat. d. 1, 79 'pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra', cf. Antib. II 240.

[4]) Plures eius modi dubitativi traditi supplendive sunt Cic. F. 5, 15, 2 'quid enim (sc. faciam)? ad amicosne confugiam?' ad quod exemplum Wesenb. (cf. em. alt. p. 48 sq.) F. 14, 4, 3 correxit: 'quid enim? rogem te? non rogem?'

[5]) Optativus primae pers. in formulis quibusdam occurrit: F. 7, 13, 1 moriar, ni puto, 7, 23, 4 'ne vivam, si concedo'.

[6]) Iussivus in altera persona negatione addita fit prohibitivus, cf. Cic. F. 7, 9, 2 tu tibi desse noli, 7, 17, 2 ne dimiseris, 7, 18, 3 ne sis admiratus. Poetae comici, quorum fabulae redolent sermonem plebis nullam affectantis urbanitatem, ne negato quidem imperativo abstinuerunt, cf. Rebling Char. p. 39, Liv. 3, 2, 9 et Weissenb. ad l. allatum.

[7]) Sin de actionis veritate dubitatio quaepiam iniecta est coniunctione aliqua (si, quamvis, similibus) aut verbo (velut 'posse' Att. 13, 20, 4) aut dicendi modo (imperativo e. gr. Cic. Phil. 4, 12, coniunctivo Att. 9, 11 A 2); ad rem veram confirmandam indicativo opus esse enuntiatoque huius modi 'ut facio, sicut sum' exponitur Antib. II p. 638.

adhibetur.[8]) Ut exemplo utar, Plancus ob credulitatem suam decipi potuit, quod quidem Cicero, qua erat urbanitate, negavit ep. 20; cum nos dicamus 'er hätte getäuscht werden können'. Idem, ut ipse concedit 23, 1, *paene deceptus est*, quae verba nos vertimus: 'er wäre beinahe getäuscht worden' (sc. wenn er sich nicht vorgesehn hätte). Nam etiam illo tempore, quo ep. 18. scripsit, periclitari maluit, quam quod 'cautius erat' consilium inire (cf. § 2), i. e. 'einen Plan verfolgen, der behutsamer gewesen wäre'. Hoc igitur dicendi modo Plancus adeo nihil sibi sumit licentiae, ut locis allatis, quae sint linguae Latinae leges propriae, appareat. Interdum tamen etiam in Latino sermone indicativus cedit coniunctivo; ut multa formarum 'possem, potuissem' exempla omittam,[9]) cf. 23, 4 *manus, quas iustius in Lepidi perniciem armasset,* (i. e. quas armare iustum fuit) *sibi afferre conatus est.*

i. De temporibus.

Tempora simplicis enuntiati, quae, si nulla alterius actionis ratio habetur, absoluta vocantur, Plancus in epistulis suis adhibuit, optimorum plerumque scriptorum usum secutus.

Et **praesens** quidem, quod proprie loquentis vel scribentis est tempus, e. gr. 8, 6 *nunc — volumus: legiones habeo,* interdum minus accurate ad res futuras pertinet,[1]) in condicionali praesertim et relativa sententia, cf. 11, 2 *si hoc se Antonius confert,*[2]) 17, 3 *omnibus ero, qui bene merentur;* praesens, quod historicum vocatur, ad tempus praeteritum est referendum, e. gr. 21, 3 *ego suspicabar: at Laterensis mittit;*[3]) in eo denique, cui nomen est gnomico,[4]) nulla temporis ratio habetur, velut 23, 1 *credulitas — in optimi cuiusque mentem facillime inrepit.*

Perfectum primo, qui sit praesens actionis perfectae status, deinde, quid de re praeterita iudicemus, postremo aoristi instar, quid omnino factum sit, significat. Quod primo loco posui, perf. praesens Plancus pluribus adhibuit locis: 8, 6 *ipse ita sum animo paratus — (ut non recusem)* § 7 *mihi fructus est paratus,* 17, 1 *Antonius venit* (q. e. 'adest', sequitur *abest).* Idem, quid opera sua effecerit, indicat perfecto logico 15, 1 *sedulitas mea tulit fructum,* § 2 *profeci;* historico denique, quae gesta sint, exponit 23, 2 *copias adduxi. adiunxi haec —. Lep. — se coniunxit a. d. IV. Kal. Iun. eodemque die — moverunt.* Etiam *constiti* 11, 2 aeque atque *consedi* 23, 2 historicum perfectum intellegendum esse, historicis, quae in sententia finali sequuntur, temporibus (priore l. *paratus essem,* altero *possem)* demonstratur, quod non mirabimur, cum tantum absit, ut singula inter se perfecti genera certis sint terminis discripta, ut nonnunquam vix possint discerni.

Primaria perfecti vis confirmatur adverbio 'adhuc' addito:[5]) 23, 6 *quod adhuc fecisti, idem praesta,* 17, 3 extr. *fac — tuearis, sicut adhuc — fecisti,* 24, 2 *ut talis praestare possem, quales*

---

[8]) Quem dicendi modum Caelius bis adhibuit 8, 14, 4 'prope oblitus sum, quod maxime fuit scribendum' ut, quae res ne fieret periculum fuerat, eandem efficiendam significaret; cf. Caes. G. 2, 20 § 1 et 2. Quin etiam in apodosi irreali adverbio 'paene' addito indicativum retineri Livii exemplo 2, 10, 2 ostenditur, cui Caelii locum (8, 4, 1) specie contrarium non recte opponi Antib. II 214 memoratur; contra Burg p. 33 unum ex recentiore scriptore (Amm. Marc. 16, 2, 10) exemplum attulit.

[9]) Cf. Antib. II 299 et Johanson, de usu modorum, Upsala 68, p. 30 sq. 40.

[1]) Cf. Cic. ad Att. 14, 11, 2 'L. cras mane vadit' et Synt. § 23.

[2]) Apud Hofm. ad h. l. duarum, quae fieri possint, rerum alteram praesente indicatam probabiliorem videri memoratur exemplo ex Livio (23, 13, 5) allato, cui addo F. 14, 2, 3; interdum autem, ut vis oppositionis augeatur, vero actionum tempore neglecto in utroque enuntiati membro praesens ponitur, velut Cic. Verr. 1, 6; fin. 5, 86.

[3]) Cf. F. 10, 30, 3 (Galbae ep.) 'recipere me coepi — interim video'.

[4]) Cf. Synt. § 26.

[5]) L. Aemilium consulem Livius 22, 49, 10 post cladem Cannensem dicentem facit 'Aemilium — et vixisse adhuc et mori', quibus verbis quadam ex parte respondent, quae Cicero, cum eum exsulem mortis oppetendae tempore praetermisso vitae paene pertaesum esset, ad Atticum scripsit 3, 14, 1 extr. 'nos vixisse et adhuc vivere'; sed, sive perfecta sive imperfecta actio est verbi, cui 'adhuc' tribuitur, praesentis certe temporis haec ab initio fuit particula, cf. Synt. § 41.

adhuc fuerunt;[6]) quae temp. perfecti indoles manifesta fit collato Planci perfecto 24, 3 *nos adhuc omnia integra sustinuimus* cum Ciceronis praesente F. 1, 5[b] extr. 'causa nobis adhuc integra est;[7]) sed etiam cum praesente, ubi, quae futura sit rei condicio, quaeritur, illud Plancus adverbium coniunxit, cf. 23, 4 *et adhuc vivit et dicitur victurus.*[8])

Cur perfectum in lingua Latina tantum a primordiis suis aberraverit, cum in Graeca notionem suam retineret, ea potissimum causa mihi videtur, quod, ut in coniunctivo duo modi, ita in hoc tempore, id quod variis eius formationibus comprobatur,[9]) cum perfecto aoristus coaluit.[10]) Sed postquam duo tempora in unum coaluerunt, sive perfecta actio sive incepta accurate definienda erat, cum una cum formis certae notiones evanuissent, ambitu quodam verborum opus erat.[11])

Et perfectae quidem actionis status perpetuus participio perf. pass. suspenso ex verbis habendi et tenendi significatur[12]) cum a ceteris tum a Planco: 24, 3 *subsidia res p. habet expedita,*[13]) eadem paragr. extr. *expertum*[14]) *habemus,* cf. 8, 7 et 21, 7 *commendatum habere,*[15]) 8, 1 *exspectationem tenuisse suspensam.*[16])

Actio incepta accuratius definitur verbo 'coepisse', quod tamen in vulgari sermone saepius sine iusta causa adhibetur. Iure igitur Plancus scripsit 15, 4 *si se recipere coeperit,*[17]) abundantia quadam 17, 2 *cum primum posse ingredi coepit.*[18]) Mire utrumque actionis et perfectae et inceptae statum coniunxit M. Brutus (ad Brut. 1, 4, 5) *laudabo, cum exploratum habere coepero.*[19])

---

[6]) Haec similiaque in secundariis et primariis sententiis Cicero adhibuit: Att. 3, 10, 3 extr. 'ut adhuc fecisti', F. 12, 26, 2; F. 6, 6, 9 'adhuc parum profecerunt', 7, 24, 2 extr.

[7]) Cicero quoque variavit, cf. Verr. 4, 130 'id — usque ad hanc diem integrum inviolatumque servatum est', Phil. 13, 34 'adhuc omnia integra sunt'.

[8]) Praesentem rerum condicionem exponens Plancus de Antonio scripsit 24, 6 'vivit A. hodie', Cicero de eodem 28, 1 'adhuc vivit haec pestis', quod eum una cum Caesare interfici oportuisse censet.

[9]) Cf. tres unius verbi 'parcere' formationes, quarum duae 'peperci, parsi' vetustioris sunt aetatis, tertia 'parcui' recentioris.

[10]) Cf. Stolz in Mülleri compendio, lat. Formenlehre § 110: 'In der älteren Sprache standen neben den reduplizierten Perfecten s-Aoriste in Verwendung'.

[11]) Hunc tamen circuitum minus consilio formatum quam sub manu natum esse demonstravit Thielm. Arch. II 509 sq.

[12]) De ea ratione, quae inter simplex perf. et circuitionem intercedat, cf. Arch. II p. 509 et 526: Colum. 3, 10, 18 'quod compertum habeamus' antecedente 'comperimus'; F. 10, 3, 2 'ego — constitutam habui', 4, 2 'quare — constituerim'.

[13]) Caesaris est 'aciem instructam habere' G. 1, 48, 3; eiusdem, quod proprium videtur castrensis sermonis, 'paratum habere' (C. 1, 6, 1 'legiones habere sese paratas X', contra Planci 8, 6 legiones habeo quinque sub signis); Planci locutio recurrit b. Afr. 78, 5; eadem liberius adhibita est a Cicerone F. 10, 25, 2; duo participia uno sunt loco composita Cic. de or. 2, 118 'paratum atque expeditum habere', cf. Arch. II p. 392 sq.

[14]) De passiva participii 'expertus' notione cf. f. adn. 6, de participiis idem fere significantibus d. adn. 16.

[15]) Haec subditiva quaedam circuitio a vera et genuina accurate discernenda est; nam cum incorrupta in dativo auctoris nitatur, ut e. gr. 'exploratum habeo' ducendum sit ex impersonali 'exploratum mihi est': quae illius fuerit origo, dativo obiecti 'vobis' priore Planci loco verbis 'commendatos habeatis' interiecto indicatur, ut 'tibi' in Cassii et Trebonii epp. F. 12: 12, 2; 16, 4; cf. Thielm. Arch. II 512, ubi tamen alter Planci locus iniuria Ciceroni adscriptus est.

[16]) Eiusdem locutionis genus passivum occurrit Cic. Cluent. 8; in activo genere 'habere' tenendi notionem obtinet Liv. 8, 13 extr. 'tot populos suspensos animi habetis', faciendi notioni appropinquat Cic. F. 5, 13, 1, cf. Arch. II 378. Neque multum inter se differunt 'sollicitum habere' et v. fact. 'sollicitare', cf. l. l. p. 377. Eadem fere ratio intercedit inter Ciceronis (ad Att. 16, 1, 3) et Livii (34, 36, 3) 'mare infestum habere' et Vellei Pat. (2, 73, 3) 'mare infestare'.

[17]) Hanc Galba circuitionem adhibuit F. 10, 30, 3 'recipere me coepi', quae verba § 4 repetuntur interiecto 'novissimus', ibid. 'pedem referre coeperunt', quod rectius Caesar usurpavit G. 1, 25, 5; cf. 1, 26, 1; 3, 24, 3.

[18]) Cf. Cic. Verr. 4, 66 'rogare et vehementer petere coepit', D. Brutus F. 11, 13, 3 'petere coepit — orare coeperunt'; Synt. § 27, adn. 2, Curt. 5, 5, 16 'nosse coeperunt', Th. Vogel in grammatico, quod editioni suae praemisit, summario § 104.

[19]) In M. Bruti epistulis etiam alioqui actionis perfectae significatio abundat: 1, 4, 3 'visum fuerit', 1, 15, 8 extr. 'fuerit oblitus'; Cicero eiusdem locutionis simplici futuro in protasi contentus erat F. 11, 6, 1 'si exploratum habebis'; ad exactum procedit D. Brutus Marco appropinquans F. 11, 10, 5 'cum primum expl. habuero'; cf. Arch. II p. 539.

Vidimus, quo verborum ambitu actio et perfecta et incepta significaretur; instans coniugationis est, quae vocatur periphrastica. Quae actio, si praesentis est temporis, prope ad eam accedit, quae simplici indicatur **futuro,** cf. 21, 5 *itaque rediturus sum nec — sinam.*[20]) A simplici rursus futurum **exactum** priscis linguae Latinae temporibus non longe afuit,[21]) qui usus praecipue in videndi verbo mansit: 21, 7 *tu videris.*[22])

Plusquamperfectum, quod tempus similiter atque fut. exactum, cum gravioris esset ponderis, in vulgari potissimum sermone imperfecto substituebatur,[23]) in Planci epistulis perfecti status vim suam primariam obtinet, velut 21, 2 *ire decreram,* 23, 1 *pulchre noram.* Hoc enim tempore actionis praeteritae exitus, vel, qui inde sequitur, status significatur, **imperfecto** cursus, qui interdum re nova obveniente historicoque praesente indicata interrumpitur, cf. 21, 3 *ego suspicabar: at L. mittit.*

Eorundem temporum, plusq. et imperfecti, in veterum epistulis alioqui haec est causa, quod is, qui epistulam scribit, interdum eius, cui missurus est, tempori se subicit. Quod Plancus fecit 4, 1 *excusationem affero, quod — audieram,*[24]) 18, 4 *diebus octo, quibus dabam,*[25]) *me coniungam,* 23, 3 *quem triduo, cum has dabam litteras, exspectabam.* Qui usus, quamquam imprimis illorum est verborum, quae ad ipsas litteras pertinent, velut quae inter se respondent: 'litteras dare et accipere, scribere et audire', tamen ad alia quoque verba transiit.[26]) Neque ipse Cicero, qui saepius Planco adhibet, his temporibus utitur, nisi cum illud ipsum, quo epistula data est, tempus respicit.[27])

Alteram commentationis meae, quae est de Planci enuntiato composito, particulam oblata occasione foras dabo, neque de universa illius elocutione disserendi consilium meum abiecerim.

---

20) Quod etiam coniunctivo futuri probatur hausto ex illa coniugatione.

21) Id tempus proprie rei futurae perfectum significat statum, cf. Lübbert 'de coni. perf. et fut. exacto' p. 98 'Der Bedeutungskern des futurum exactum ist der, dass es das vollendete Sein in die Zukunft verlegt'; ex Cic. epp. F. 11, 12, 2; 10: 13, 2; 19, 2 'confecerit' et 20, 3 in sententia simillima 'confector erit'; de legis formula quadam 'qui fecit, fecerit' Arch. II p. 219 sq.; deinde illo tempore certa loquentis de re exspectata enuntiatur fiducia, cf. Caes. G. 4, 25, 3 praestitero, item Tac. ann. 3, 12 extr.; Cael. F. 8, 17, 2 'vos invitos vincere coegero', Cic. F. 11, 8, 2, Brix ad Capt. 293, Synt. § 28.

22) Fut. exactum 'videro', quod cum coniunctivo verbi ἰδεῖν eodem ponitur loco, postquam aoristus cum perfecto coaluisset, huius temporis notionem adeptum esse pristina tamen absoluta sua vi non plane amissa Fr. Cramer contendit (Arch. IV p. 596 sq.); cf. Cael. 8, 13, 2 'vos videritis', Burg p. 27.

23) Quo de usu semel iterumque admonemur aliquo verborum dicendi plusq. vel ab optimis scriptoribus usurpato, cf. Cic. ad Att. 5, 1, 3 'quae fueramus locuti', Caes. G. 2, 1, 1 'quam — dixeramus', Kraner ad l.; Synt. § 24.

24) Eadem huius verbi forma occurrit Cic. ad Att. 9, 10, 1; F. 7, 18, 3; audiveram 13, 79 (cf. Mend.); 'audieramus' Att. 9, 8, 1 'nos quoque', F. 12, 7, 2 'nihildum', 15, 1, 1 'nondum'; cf. Zimmermann Progr. Rastenb. 91. — Eiusdem verbi imperf. legitur Cic. ad Att. 10, 12, 3 'audiebam'; F. 12, 25, 7 'audiebamus'.

25) Idem tempus in eodem enuntiato certo temporis spatio significato Cic. posuit ad Att. 3, 21 (Trebon. eadem etiam collocatione 12, 16, 3); certa die indicata perf. F. 2, 8, 3. Idem 'scripsi' primariae plerumque tribuit sententiae, cf. F. 1, 2, 4; 6: 1, 6; 21, 2; 7, 27, 2; Att. 4, 9, 2; secundariae imperfectum, velut F. 5, 12, 2; 12, 6, 2: 'cum scribebam' pron. 'haec' vel praemisso vel interiecto.

26) Ita fieri potuit, ut etiam particula 'nunc' eius modi imperfecto tribueretur, cf. Cic. ad Att. 5, 20, 7 'nunc litteras mittere parabam', F. 13, 16, 4; Süpfle-B. ad Att. 2, 24, 4; quamvis saepe occurrat illud 'ut nunc est', similia: Cic. ad Att. 7, 4 extr.; 8, 15, 3; Cael. F. 8: 1, 2; 4, 2; 12, 1; Dolab. 9, 9, 3. — Quod Plancus 18, 1 *cognoscere potuisti,* Cicero F. 12, 6, 1 in simillima sententia futurum posuit: hic superiorem suam respexit epistulam, quae est una et vicesima, alter litteras ad Cassium dedit in remotissimam provinciam profectum.

27) Neque tamen Cicero utriusque generis tempora eodem dubitavit adhibere loco, cf. Cic. F. 3, 5, 4 'si quid nunc me fallit in scribendo — procul enim aberam'; F. 12, 5, 2 extr. 'erat firmissimus senatus exceptis consularibus, ex quibus unus firmus est'.